



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque**

**Pallavicino, Sforza**

**Romæ, 1649**

[De Fide]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38925**

# LIBER<sup>I</sup>

## TERTIVS

*De Fide, Spe, & Caritate.*

### CAPVT PRIMVM.

*Quid sit fides, quid locutio, quid  
& quotuplex signum; quid  
mendacium, cur ne Deo  
quidem unquam  
licitum.*

**Q**VAMVIS fi-  
des genera-  
tim multipli-  
citer accipia-  
tur, omnes tamen acceptiones  
habent analogiam in hoc præ-  
dicato, quòd aliquis innitatur  
A veri-

veritati alterius. Sic fiducia dicitur *fides*, quia innititur veritati promissionis; sic aliquis dicitur fidere amico, quia innitur veritati illius apparentiæ, quam habet de benevolentia amici. Sic etiam dicitur aliquis seruare fidem quando ponit re ipsa veritatem illius dicti, vel promissionis, cui alter innixus fidem adhibuit. Denique dicitur aliquis agere bona fide, quando adhibet fidem bonæ & honestæ apparentiæ, quam præfert obiectum agibile.

2 Cæterum fides proprie est assensus propter auctoritatem loquentis. Nomine autem *locutionis* vniuersim acceptæ quatenus est communis locutioni ad se & locutioni ad alterum intelligitur *signum alicuius rei exhibitum*

per

De Fide, Spe, & Charit. 3

per iudicium loquentis cuius signi  
falsitas quā falsitas est, sit incon-  
iungibilis cū scientiā <sup>simul et</sup> et bonitate  
præbentis illud signum. Dixi, quā  
falsitas est, nam si aliquis habet  
quodcumq. signū de meā boni-  
tate, falsitas huius signi est in-  
coniungibilis cū meā bonitate,  
& tamen potest illud signū non  
esse locutio; non enim est in-  
coniungibilis, quā falsitas est, in  
genere, sed quā falsitas est hu-  
ius obiecti peculiaris.

3 At sola locutio est signū,  
cuius falsitas, quā falsitas est, in  
genere, non potest iungi cum  
scientiā & bonitate præbentis  
eiusmodi signū. Itā Verbū di-  
uinum est locutio. Est enim si-  
gnum & imago diuinæ scien-  
tiæ: quod signum si esset fal-  
sum Deus nō esset sciens. Idem

A 2 dico

4      *Liber Tertius*

dico de visione beatificà , quæ si esset falsa , Deus non haberet scientiam ; cognitio enim Dei , quam visio beata intuetur , esset falsa . Pariter est locutio verbum externum , quia falsitas illius signi non potest coniungi simul cum scientià & cum bonitate loquentis .

4      Cæterùm signa in genere sunt illa obiecta , quæ ita cognoscuntur , vt ducant in cognitionem alicuius alterius rei . Aliqua quidem in solam cognitionem apprehensiuam ; Quomodo picturæ dicuntur *signa* : non quia semper indicent rem pictam , esse , vel extitisse , sed quia excitant apprehensionem illius . Item scripturæ dicuntur ab Arist. signa verborū  
non

*De Fide, Spe, &c. Cap. I. §*

non quia indicent, extitisse illa  
verba, sed quia excitant apprehensionem eiusmodi verborū,  
quibus substituuntur. Magis  
propriè tamen dicuntur *signa*,  
ea, quæ sunt argumenta ad inferendam existentiam alterius;  
u quo sensu accipitur nomen  
signi ab Arist. 2. Priorum c. 27.  
& 1. Retor. c. 7. & ab August.  
de doctrinà Christianà.

§ Signa in hoc sensu sunt  
triplicis generis; alia ex naturà,  
alia ex consuetudine, alia ex  
pacto. Ex naturà quidem, ut  
fumus est signum ignis. Ex  
consuetudine, ut habitus virilis  
est signum sexus virilis. Ex pa-  
cto, ut verba, scripturæ, & nu-  
tus sunt signa alicuius obiecti  
ex placito hominum. Cum  
enim de ratione signi in genere

6 *Liber Tertius*

fit habere talem connexionem cum existentia alterius rei non per se apparentis, ut præbeat saltem probabile argumentum ad illam affirmandam, hæc connexio aliquando quidem est ex natura, aliquando ex consuetudine sine vlla obligatione aut pacto, aliquando ex conventionione.

6 Signa tertij generis dicuntur *locutio ad alterum*: non quia sit de essentia locutionis esse significatiua ex conventionione: si enim alter alteri per naturam suum iudicium manifestaret, & per hanc manifestationem patefaceret ei veritates à se iudicatas, non est cur illa significatio non diceretur *locutio*; sicut per verbum mentis loquimur nobis, & Deus loquitur Filio æterno non distin-

stincto à se indiuidualiter secū-  
dum naturam : Sed quoniam  
cogitationes vnus animi non  
patent vlli alteri creaturæ, nisi  
ex voluntate cogitantis & per  
signa nō naturalia vt infrà; ideò  
omnis locutio ad alterum in-  
cludit de facto aliquam mani-  
festationem voluntariam, & ex  
conuentione. Quamuis enim  
Deo pateant immediatè cogi-  
tationes nostræ, non tamen  
per eas Deū alloquimur, quia  
non sunt id, per quod Deus vi-  
deat veritates à nobis cogni-  
tas.

7 Omnia ergo signa ex-  
conuentione sunt locutio, secū-  
dum definitionem à nobis tra-  
ditam : quoniam illa habent  
hoc peculiare, vt non possint  
esse falsa nisi ex defectu scien-



tia, vel bonitatis in præbente  
signum.

8 Et quidem signis tùm naturalibus, tùm ex purà consuetudine, vt suspirijs, vestibus, & similibus; quoties non interuenit aliquod pactum implicitū, licet vti sine mendacio, etiam si non existat res significata. Nec enim tenemur semper impedire occasionem falsæ ratiocinationis in alijs. Imò licet etiam illis vti ad procurādum, ex bono fine emolumentis præponderantis errorem alterius, sicut eum possumus aliquādo licitè procurare per alia media. Aliòquin deberemus damnare ferè omnia stratagemata in bellis iustis, nec non fictiones aleatorum, errores admirationem afferentes in fabulis, lusus artificum

*De Fide, Spe, &c. Cap. I. 9*  
ficum, & alia, quæ communi-  
ter non reprehenduntur. Ne-  
que hæc merentur nomen *ſ-*  
*mulationis*, quæ reprehenditur  
à S. Th. 2. 2. q. 111. ar. 1. vt potè-  
quæ vel continet locutionem,  
implicitam, vel efficit errorem  
alterius sine bono præponde-  
rante.

9 At locutione numquam  
licet vti, nisi quãdo est signum  
verum, nunquam enim licet  
fidem violare. Neque dicas li-  
cere aliquando non seruare  
pactum ex bono præponderã-  
te. Id enim falsum est in omni  
casu, ad quem casum obligatio  
pacti validè extendatur à prin-  
cipio: siquidem implicat in ter-  
minis, licere cuiquam operari  
contra suam validam obliga-  
tionem. Quod autem obliga-

A S                      tio

tio non vsurpandi talia signa, nisi quando sunt vera, extendatur ad omnem casum ( excepto vno, de quo infra ) probatur quoniam non potest huic bono præponderare aliud bonum. Nam hoc ipso quòd in aliquo casu non obligaremur ad abstinendum illis signis etiamsi deesset res significata, sequeretur pro eo casu cessare in illis significationem, vt potè quæ tota in illis oritur ex obligatione; atque adeò non solum cessaret utilitas illorum signorum in casu falso, sed etiam in casu vero. ex. g. si mihi liceret falsò dicere homini volenti interficere suum hostem, *hic non est tuus hostis*, sequeretur ea verba in ordine ad illum casum nihil significare, quia non posset

set

*De Fide, Spe, &c. Cap. I. 11*  
set audiens ita argumētari *hæc*  
*verba proferuntur, ergò hic nō est*  
*meus hostis. Quòcirca audiens*  
nihil moueretur istis verbis. Ex  
alià parte. hæc eadē verba amit-  
terent propter hoc idem signi-  
ficationē, atq; adeò utilitatem  
etiā in casu vero: nā ex se possēt  
æq; proferri licitè in vtroq; ca-  
su, ac proinde nō haberēt ma-  
iorem cōnexionem cū hoc, quā  
cū illo. & sic nō prodesse ad  
auferendū errorem illius, qui a-  
liquando vellet occidere homi-  
nem falsò putatū suū hostem;  
ergò meliùs est vt ea verba sem-  
per retineant obligationē. Ne-  
que dicas adhuc ea verba pro-  
futura in vtroque casu, quo-  
niam multi nescirent, id licere.  
Nam contra est, quia de naturà  
legis est, vt sit nota subditis. At

proinde ideò verba nunc habent vtilitatem, quia audientes sciunt vniuersalem prohibitionem mendacij:

10 Hæc tamen ratio vniuersaliter inhonestans mendacium tandem reduci debet ad illam rationem communem, quòd non sit bonum adhibere exceptionem legis, quando exceptio prodesset in casu rarissimo, & noceret in plurimis casibus, quibus falsò applicaretur. Possumus enim excogitare casum, quòd loquens videat esse maximum bonum reip. si audiens decipiatur, & tamen, quòd hoc ipsum bonum non sit suspicabile audienti, adeòq. is nō cognoscat, voces in eo casu non esse significatiuas. Sed vt dixi hic euentus est rarissimus,

mus,

*De Fide, Spe, &c. Cap. I. 13*  
mus<sup>n</sup>, & metaphysicus; adeo  
que exceptio respectu illius ef-  
fet minime utilitatis. Ex alia  
parte, si homines sciant hanc  
exceptionem in genere, valde  
labefactatur fides commercij,  
quia multi sibi persuadebunt il-  
lam utilitatem ubi non est, &  
multi frequenter suspicantes hanc  
persuasionem in loquentibus e-  
runt frequenter increduli. Idque  
confirmatur a posteriori; vide-  
mus enim, quod ea verba de  
facto semper significant apud  
homines, ergo homines putant  
semper remanere in loquente  
illam obligationem, quae est fun-  
damentum huius significationis.

II Imò, quia obligatio ve-  
racitatis est levis ubi materia  
est levis, & proinde solet con-  
temni propter magnam aliquam  
utili-

utilitatem, adeoque est tenuissimum signum rei affirmatae in huiusmodi casibus, ideò inuentum est iuramentum per quod aduocando Deum in testē rei enūciatae, possit reddi obligatio illa grauissima ac proinde signum vehementissimū veritatis. Hæc obligatio nō solum prouenit ex contractu, sed ex quasi cōtractu, hoc est, ex obligatione constitutā per legem naturalem ad similitudinem cōtractus. Nec enim Indi ex g. cōtraxerunt nobiscū, & tamen obligantur non vti nobiscum nostris vocibus, nisi quando res tali certo modo se habent.

12 Ratio huius rei est, quia natura ex vnā parte noluit arcana cordis foris patere nisi dependenter ab vniuscuiusque volun-

*De Fide, Spe, &c. Cap. I.* 15  
volūtate, vt honori, & cōcordiē  
creaturarū rationaliū cōsuleret:  
ex aliā parte voluit posse hęc  
explicari alijs 'pro libito vniuf-  
cuiusq; tūm vt quisq. cōsuleret  
suis indigentijs: tūm vt singuli  
possēt ditari scientijs alterius,  
absque illius iacturā. Ideò insti-  
tuit aliqua signa ponibilia ad  
volūtate vniuscuiusq;, per quæ  
signa eius cogitationes cui ipse  
vellet, aperirētur. Sed hęc signa  
noluit esse talia, vt essent neces-  
sariò naturaliter cōnexa cū ve-  
ritate rei significatæ: Aliòquin  
robustiores possent extorquere  
per minas & tormenta ab infir-  
mioribus, vt exhiberēt ea signa,  
ex quibus euidenter colligerēt ar-  
cana cordiū. Vt ergò hęc rege-  
rētur, necessē fuit mēdaciū esse  
possibile, hoc est, arcana cordiū  
expli-



explicari per signa, quæ haberent cum re significatâ connexionem obligationis, non connexionem physicæ necessitatis. Quod habet exceptionem in solo Deo; tum quia in ipso obligatio honestatis, & necessitatis est idem; tum quia ille, ut omnium robustissimus, à nemine potest cogi ad loquendū si nolit.

13 Ad hunc finem natura instituit inter homines (nec enim attinet agere hoc loco de locutione Angelicâ) operationes quasdam facillimè agibiles ab vnoquoque & cum magnâ, & multiplici diuersitate sensibili; & quidem sensibili ab eo tantum, cui operans suam operationem dirigeret. Rursus instituit tales operationes, quæ  
nullam

*De Fide, Spe, &c. Cap. I. 17.*  
nullam aliam ferè vtilitatem,  
haberent, ne homo pateretur  
incommodum carendi illà vti-  
litate eò quod non posset eas o-  
perationes exercere, quando  
res significata nō existeret. Hęc  
autem signa fuerunt voces ar-  
ticulatæ, & ad hunc finem de-  
dit homini instrumenta loquē-  
di: tūm verò vbi hæ per accidēs  
impediuntur, natura substituit  
nutus, ars verò, scripturam: Por-  
rò determinata significatio hu-  
ius vel illius vocis, aut scripturę  
non pendet à naturà, sed ex  
pacto humano; verumtamen  
constitutà semel hac significa-  
tione in aliquà rep. vtique na-  
tura obligauit omnes gentes  
ad eam seruandam cum homi-  
nibus illius reip. & cum alijs  
intelligentibus illud idioma,  
nisi

nisi explicauerint se non intendere talem significationem. Ex eò enim quòd ad id obligetur, nullum subeunt incommodum considerabile, & ex alià parte habent hoc magnū emolumentum vt possint vti commercio cum hominibus vsurpantibus illud idioma.

14 Hæc eadem ratio probat, hac obligatione teneri etiã Angelos, & Deum, non quia illi subiecti sint pactis nostris, sed quia dum proferunt illas voces, quæ habent apud nos hanc significationem, & non apparet aliquis alius finis huius prolationis, dant nobis prudēs fūdamētū existimādi, ea verba ab illis proferri ad finem enunciandi nobis id quod nos per ea verba solemus enunciare: est

au.

autem obligatio legis naturalis  
nō prābendi alteri prudēs fun-  
damentū huius existimationis  
nisi per signa vera : hæc enim  
obligatio prodest ipsi obligato,  
nam qui esset ab eā exemptus  
non haberet signa, per quæ a-  
lios alloqui posset, cum signi-  
ficatio locutionis in obligatio-  
ne consistat, atque adeò esset  
mutus. Et propterea hæc obli-  
gatio tamquam bona obligato  
includit ipsum Deum.

15 Ex dictis multa inferū-  
tur: primum est, Deum, ne de  
absolutā quidem potentiā pos-  
se adhibere signa, per quæ ho-  
mines prudenter existiment se  
obligari ad credendum firmis-  
simè eum loqui, quin loquatur,  
& verum loquatur: nam si id  
posset, non esset dignus summā  
fide

fide excludente omnem formidinem : semper enim liceret nobis dubitare nùm fortè hìc , & nunc non intendat loqui, sicut videtur ; atque adeò vel Deus esset mutus , vt dixi, vel certè esset quodammodo ita balbutiens, vt ex eius locutione nihil certi posset inferri. Alterum, quod infertur est , si Deus non adhibeat exteriora signa talis rationis, quæ ipse adhibere non possit, nisi loquatur, non posse eum à nobis exigere ex merito suæ veracitatis summam fidem : non potest enim exigere vt credamus obiectum supra meritum ipsius obiecti ; aliòquin exigeret non veram fidem, sed errorem. Error quippè est credere, quòd non possit aliter se habere id quod potest

potest aliter se habere, ergò si Deus præferret talem apparentiam, cum quâ posset coniungi, quòd ipse nō loqueretur, nō liceret Deo exigere à nobis ex merito suæ veracitatis, vt crederemus super omnia, & tãquã infallibile, quòd illa apparentia esset locutio Dei. Ex quo fit nostram fidem non solùm ex entitate actus, sed ex obiecto esse infallibilem, & essentialiter distinctam ab omni actu falso.

16 Ex his duobus emergit alia consecutio, scilicet debere notũ esse lumine naturæ quænam sit illa apparentia, de quâ non possumus prudenter dubitare an sit locutio Dei (licet de hoc possimus dubitare imprudenter propter inevidentiam, ipsius locutionis diuinę) si enim  
non

non esset notum intellectibus  
audientium, non esse pruden-  
ter dubitabile quin hæc sit lo-  
cutio Dei, utique quamuis id  
re ipsa ita esset à parte rei, nihil  
prodesset in ordine ad prædictū  
finem. Quandoquidem sem-  
per liceret nobis dubitare,  
nūm hæc sit talis, nec  
nè; ac proinde nun-  
quam teneremur  
ad firmissi-  
mam  
fidem Deo exhi-  
bendam.



CAPVT II.

*De Amphibologià, Restrictione  
mentali, & Prolatio-  
ne materiali.*

17 **L**icitum est vti amphibologià: verba enim amphibologica sunt illa, quæ habent duplicem significationem disiunctiuè ex pacto hominum. Cū ergo pactum sit non enunciandi talem vocem nisi in alterutro ex duobus sensibus, utique pactum seruat qui eam in altero enunciat. Sed quoniam propter rerum infinitatem, & finitatem vocum, ut notat Aristoteli in principio Elencorum, linguæ sunt æquiuationum plenæ, ideo pleræque voces accipiunt determinati-



terminationem significationis ab alijs circumstantijs; nec proinde licet eas proferre nisi in eo sensu, ad quem hìc, & nunc ex circumstantijs cōtrahuntur: aliòquin omnia essent dubia, & locutionis vtilitas fermè tolleretur.

18 Item quando circumstantiæ relinquunt prudentem rationem ambigendi super duplici sensu, licet quidem ex bono fine proferre verba etiam in illo sēsu, quē sēsū loquēs videt, non intellectum iri ab audiente; imputet enim sibi audiens si ex obligatione loquentis dissiūctiuā malè ratiocinatur inferēdo determinatē vnā partē dissiūcti, nō tamē licet intēdere illū sensum, qui reipsā sit falsus, qui enim habet obligationem dissiun-

siunctiuam, si eligit vnā partem disiuncti tenetur determinate ad illam. Quid autem sit, intendere hunc vel illum sensum, alij aliter explicant: nos dicimus nō posse melius exponi, quā per hoc, quōd loquēs intēdat subire omnes obligationes determinati, quæ oriuntur ex affirmatione illius sensus.

19 Non ita licita est in vltimo casu restrictio mentalis, per quā scilicet pars propositionis proferatur, pars mente retineatur: nec similiter licet partē clarē proferre, partem murmurare introrsum ita, vt nō sit audibilis ab alio, Probatur hoc multis rationibus: primō quia si hoc liceret, sequerentur omnia absurda, quæ sequerentur si liceret eadē verba proferre sine

B            hac

hac restrictione & additione ;  
cum enim hæc restrictio vel ad-  
ditio non sit cognoscibilis ab  
audiente, perinde audiens po-  
terit suspicari de illis posito,  
quòd illæ sint licitæ, ac posset  
suspicari de mēdacio si menda-  
ciū esset licitū. Secūdò, & àprio-  
ri; quoniam ex definitione Au-  
gust. signum debet esse quid  
sensibile ; at illa restrictio vel  
additio non est neque mediatè,  
neque immediatè sensibilis, er-  
gò nō est pars signi, atque adeò  
locutionis. Tertiò, quia de es-  
sentià locutionis est esse mediū ad  
manifestandam scientiam : sed  
huiusmodi restrictiones, vel ad-  
ditiones nō sunt media ad hūc  
finem, quia sunt inutilia ad il-  
lum ; & ideò adhibentur, quia  
cognoscuntur inutilia ; ergò nō  
sunt

sunt locutio, nec per illas quif-  
piam intendit loqui.

20 Nec dicas illam partem  
sensibilem propositionis, quæ  
palam profertur, non esse mē-  
dacium, quia explicat veritatē,  
sed non totam, hoc est non il-  
lam partem, quæ animo reti-  
netur. Nam contra est primò,  
quoniam si hoc est, neque esset  
necessè adhibere illam restri-  
ctionem mentalem: nemo e-  
nim tenetur dicere totam veri-  
tatē, si nihil falsi dicit. Cōtra est  
secūdo, quia potiùs falsitas pro-  
positionis externę per se accep-  
tæ in illo casu in eo sita est, vt  
dicat aliquod falsum mixtum  
cum vero, & per restrictionem  
internam coarctetur ad solum  
verum. ex. g. dum dico exte-  
riùs, *non vidi Petrum*, nego vi-

B 2 fiones

siones à me factas de Petro in quolibet loco, quarum visionū aliquæ vbi- cationes negari possunt cū veritate aliæ nō, & ideò interiùs addo ex. g. *Florentiæ*, quia istæ visiones de Petro vbi- catae Florentiæ possunt à me cum veritate negari.

21 Minùs valet, eas addi- tiones, aut restrictiones, esse par- tem locutionis, quia per ea lo- quens alloquitur se ipsum. Nam si hoc est, non tenemur eas ad- hibere: obligatio enim veracita- tis est ad alterum; & implicat quempiam mētiri sibi ipsi; cui- que enim patēt arcana sui cor- dis. Imò probabilius est nemi- nem posse alloqui se ipsum per signa distincta ab ipsa co- gnitione, quam solam cogni- tionem, tanquam locutionem.

ad

*De Fide, Spe, &c. Cap. II. 29*  
ad se agnouit S. Thom. i. p. q.  
107. ar. 10. Signum enim de-  
bet esse prioritate aliqua prius  
notum, quam res significata.  
At unicuique prius innotescunt  
propriae cogitationes, quam  
verba, quae adhibet ad eas ex-  
primendas. Quòcirca nemo se-  
cum loquitur, nisi vel per erro-  
rem ex aliqua perturbatione  
animi, vel vtens verbis recita-  
tiuè ad excitandam viuendam  
apprehensionem obiecti prop-  
ter connexionem, quam habet  
species intentionales verborum  
cum speciebus rerum significa-  
tarum. Et propter eandem  
rationem non datur locutio pro-  
pria creaturae erga Deum, quae  
sit communicatiua, seu mani-  
festatiua scientiae, vt docet S. Th.  
dicta q. 107. ar. 3. Deo enim

cuncta sunt nota independen-  
ter à signis, quidquid sit àn er-  
gà Deum exerceri possit aliqua  
locutio analogica, & incapax  
veracitatis, vel mendacij.

22 Fatemur tamen licere  
aliquando proferre verba, quæ  
si enunciatiuè proferrentur, ef-  
sent significatiua alicuius ob-  
iecti, etiamsi illud obiectum nō  
existat. Primò quidem, quia  
confessarius si vrgeatur per im-  
portunas interrogationes à ty-  
ranno, vt dicat & iuret nūm  
audiuerit tale peccatū à Petro  
in confessione, potest, & debet  
hoc negare, etiamsi præcludā-  
tur ei omnes planè aditus æ-  
quiuocationis; Quos præcludi  
posse certum est, quia omnis  
propositio affirmatiua habet  
negatiuam sibi contradictoriā,  
& cir-

*De Fide, Spe, &c. Cap. II. 31*  
& circà omne obiectum pof-  
fibile determinatum dantur  
verba ad illud affirmandū, vel  
negandum. Rursùs hoc idem  
licet cōfiliario Principis, & cui-  
cumque obligato ad custodien-  
dum alienum arcanū sibi cre-  
ditum, quoties hōc ipso quòd  
nolit respondere, inferri potest  
veritas rei inquisitæ; eò quòd  
pateat illum responsurū si ve-  
raciter negare posset. Hæc ta-  
men doctrina, quæ à multis an-  
tiquis & recentioribus traditur,  
habet difficultatem in expli-  
cando quomodò illa prolatio  
exterior tūc nō sit mēdaciū:  
si enim ad mendaciū id non  
sufficit, sed requiritur interior  
animus loquendi significatiuè,  
nunquam poterimus credere  
loquenti, quippè non videntes

B 4 eius



eius animum : ac proinde non  
minùs id officiet commercio,  
quàm si liceat mendacium .  
Huic difficultati sic occurri-  
mus .

23 Talis respōsio exterior  
in illo casu nō est mendax; nec  
enim est contra contractū , aut  
quasi cōtractū , à quo verba ha-  
bent significationem , atq. adeò  
illa verba tūc dicūtur merè ma-  
terialiter ; perinde ac si nihil si-  
gnificarent , atq. adeò ità licet  
ea proferre , ac licebat antè in-  
stitutionem huius linguæ : dū-  
modo proferantur , non ex ani-  
mo significandi falsum , sed ex  
animo relinquendi interrogan-  
tem in pristinà ambiguitate ,  
quippè nescium nūm verba  
proferantur significatiuè , an  
materialiter ; cum vtrumque  
sit

fit arbitrarium proferenti in illo casu; Significatiuè quidem proferuntur, si loquens intendit subire obligationes pacti in ordine ad illum casum. Nam etiam in eo casu debet posse loqui, si vult; Materialiter verò, si hoc non intendit.

24 Et ratio à priori est; quoniam natura, & respublica per pactum constitutum linguæ voluit licere quidē hominibus aperire arcana sua, non autem voluit instituire tale pactum, per quod ad id cogi possent. Quàpropter noluit eos per pactum obligare ad non proferenda talia verba in casu, in quo si ad hoc obligarentur, ipsum silentium proderet arcana. Neque potuit displicere naturæ aut reip. quòd iniustus

interrogator cōstituatur in tali perplexitate; vt quātūmuis certus de probitate loquentis, non possit extorquere veritatē illam, quam per iniuriam exquirat.

25 Et hęc doctrina multò probabilior videtur, quàm si excogitemus significationes varias, & alienissimas illorum verborum in tali casu: quam enim vtilitatem haberent istę significationes impositę à naturā, vel à republicā, vt potè intelligibiles ab audiente; quod est contra essentiam signi. Maximè cū multò faciliùs potuerit obtineri idem finis sublatā pro tali casu quęcūmque significatione ad arbitrium proferentis. Neque etiam verisimile est, quòd alij dixerunt:  
pro-

propositionem negatiuam negare tantum scientiam in loquente de existentia talis obiecti; & quidem solam scientiam utilem in ordine ad communicationem, & locutionem: Cum ergo in predictis casibus interrogatus non habeat eiusmodi scientiam utilem, sed talem, qua uti non licet; potest, inquiunt, veraciter negare: sensus enim est, *nullam habeo scientiam utilem, quod res ita sit*. Verumtamen, haec doctrina videtur subtilior, quam verior. Si enim propositio negatiua negaret tantum scientiam loquentis de existentia obiecti, posset quisque veraciter enunciare, & iurare *sydera non sunt paria*, quoniam nullam habet scientiam de paritate syderum. Rursus posset con-

fessarius non interrogatus iurare ex. g. in causà Canonizationis, se non audiuisse à Petro vllum peccatum mortale, quia nullam habet scientiam vtilē de tali auditione. Et idem posset iurare etiam non interrogatus quicumque, cui aliquod arcanum fuerit commissum; quæ omnia sunt absurda. Ratio à priori est, quoniam propositio negatiua non negat scientiam de obiecto, sed affirmat scientiā de negatione obiecti. Cum ergò in eiusmodi casibus non possit affirmari talis scientia de negatione obiecti, non potest proindè significatiuè proferrive ra propositio negatiua.

26 Hæc cū ita sint in creaturis, in Deo tamen res aliter se habet : cum enim Dei silentium

tium

*De Fide, Spe, &c. Cap. II. 37.*  
tium non possit esse argumen-  
tum de existentia obiecti, super  
quo interrogetur, patet proin-  
de eum vti non posse nec locu-  
tione materiali, nec mentali  
restrictione, aut additione oc-  
cultà, ne in sententià quidem  
eorum, qui aiunt hæc esse lici-  
ta in creaturis. Potest quidem  
proferre verba æquiuoca, dum-  
modo ea intelligat in aliquo ex  
illis sensibus, super quibus po-  
test cadere prudens dubi-  
tatio positis omnibus  
circumstantijs  
presenti-  
bus,  
vt supra diximus a-  
gentes de am-  
phibolo-  
già.

CA-

## CAPVT III.

*An Deus possit naturaliter loqui,  
& quomodo: ubi de multiplici  
specie locutionis, de operationi-  
bus, quas Deus potest facere  
naturaliter. Item an posset lo-  
qui Beatis obscure, an eviden-  
ter viatoribus. An fidei repu-  
gnet euidencia in attestante.*

27 **C**ensemus non omne  
id esse supernatura-  
le, ad quod natura non exigit  
determinatè concursum Dei,  
vt putāt aliqui ex hoc inferen-  
tes omnem Dei locutionem,  
esse supernaturalem, & statuē-  
tes vniuersaliter non posse dari  
naturaliter vllum effectum pē-  
dentem tanquam à propriā  
cau-

*De Fide, Spe, &c. Cap. II. 39*  
causà à libertate diuinà : quip-  
pè non posse lumine naturæ  
cognosci euidenter libertatem  
Dei ; sicut nec Trinitatem ;  
quoniam vtrumq; includit di-  
stinctionem virtuales intrin-  
secam , quæ est ineffabilis , &  
propria solius Dei : ac proinde  
omne miraculum, quippè quod  
probat libertatem Dei non o-  
perantis ex necessitate naturæ,  
reddere quatenus miraculum  
est , credibilia mysteria tū Tri-  
nitatis, tūm Incarnationis, cu-  
ius secundi credibilitas pēdet à  
credibilitate primi. Ex quo rur-  
sus colligūt diuinum decretum  
nō se habere per modū causæ in  
ordine ad effectus merè natu-  
rales, nisi quatenus identifica-  
tur cum Deo, qui est eorū cau-  
sa: de reliquo diuinam omnipo-  
ten-



tentiam esse per se determinatam ad eos producendos, hòc ipsò quòd per decretum oppositum non impediatur : quòcirca quidquid non est secundùm præcisam exigentiam naturæ, atq; ità quidquid requirit decretum Dei determinans omnipotentiam ad eius productionem, dicunt esse supernaturale.

28 At contra eiusmodi doctrinam asserimus primò notã esse lumine naturæ libertatem Dei, aliòquin malè reprehēderetur Arist. à Patribus, & Scholasticis eò quòd diuinam libertatem negauerit, malè reprehēderentur à Paulo veteres Philosophi, qui Deo non egerunt gratias: nec enim gratiam meretur, nisi qui liberè confert bonum

*De Fide, Spè, &c. Cap. III. 41*

bonum, quod axioma si neges,  
confestim sequitur deberi gra-  
tias Deo de productione Spiri-  
tus Sancti. Et certè S. Thomas  
1. p. q. 19. ar. 3. & 4. probat ra-  
tionibus naturalibus Deum ef-  
fe agens liberum. Et prædicto  
ar. 4. ubi statuit diuinam volū-  
tatem vt imperantem esse cau-  
sam rerū, certè non intelligit de  
causà per solam identitatem. A-  
liòquin non debuisset afferre  
aliam rationem, nisi quòd diui-  
na voluntas est idem ac Deus.  
Quamuis igitur in explicando  
eo modo, quo Deus exercet a-  
ctum liberum, sit magna dif-  
ficultas; hæc tamen non tol-  
lit, quin sit euidens in genere  
Deum esse liberum, similiter e-  
nim euidens est dari tempus,  
& quantitatem, quamuis in  
vtrius-

vtriusque naturà explicandà  
inenodabiles difficultates oc-  
currant.

29 Diuina verò libertas  
multis rationibus naturalibus  
patet. Primò, quia cōstat lumi-  
ne naturæ Deum esse Dominū,  
Deū esse orandum: in hoc enim  
omnes gētes cōueniunt. *Domini-  
um* verò dicit essentialiter li-  
bertatem; Item *oratio* vt *oratio*  
significat indifferētiā ad exau-  
diendum, vel non exaudiendū.  
aliòquin non esset oratio, sed  
iniectio necessitatis. Præter-  
quam quòd constat lumine  
naturæ nos esse liberos ad bo-  
num, vel malum; Item si benè  
agamus placere nos Deo; sin-  
malè displicere, ergò saltem  
agnoscenda est in Deo indiffe-  
rentia ad habendam hanc cō-  
pla-

pla-

placentiam, vel displicentiam;  
atque ità deuoranda est tota  
illa difficultas, quam affert di-  
uinum decretum liberum.

30 Dicimus prętereà mul-  
tos esse effectus non supernatu-  
rales, qui determinantur à me-  
rà libertate Dei. huiusmodi fuit  
ipsa creatio mundi, & naturæ  
potiùs in vno tempore possibi-  
li, quàm in alio. Item deter-  
minatio effectuum indiuidua-  
liù in sententià eorundem ad-  
uersariorum. Nec valet respõ-  
sio, quòd hæc determinatio pē-  
deat à decreto Dei tantùm ne-  
gatiuè, quatenus scilicet Deus  
excludit per suum decretum  
omnia ea, quæ re ipsà nō facit.  
Nam contra est, quoniam om-  
nipotentia Dei de se non potest  
facere omnia, neque iufinita, vt  
ipsi

ipsi aduersarij concedunt, & nos in tractat. *de caritate* probabimus: quare illud decretum exclusiuum nō est impedimentum diuinæ omnipotentiae à productione omnium rerum exclusarum: nam omnipotentia secundum se considerata nequē est principium completum producendi omnia, neque est magis determinata ad hæc, quàm ad illa. Ergò nihil produceret nisi à diuino decreto positiuo determinaretur.

31 Affirmamus insuper, ultra omnes operationes, quæ determinatè exiguntur à naturà, duo esse genera operationum, quæ sūt dona Dei præternaturalia, sed nō supernaturalia. Alterum est earum, quas Deus vt author naturæ debet facere va-  
gè

gè, sed nō determinatè: vt ex. g. in Angelo primùm creato debet excitare aliquā cogitationem, sed non tenetur tanquam author naturæ excitare potiùs hanc, quàm illam. Est verò beneficium peculiare, si excitet meliorem: sicut enim in republicà humanà Princeps tenetur vagè ad aliqua, sed determinatio est penes ipsū Principem, quia respublica ex illo disiuncto non magis exigit vnam partem, quàm aliam: ità etiam respublica totius naturæ exigit à Deo aliqua cū indeterminatione arbitraria ipsi Deo in ordine ad locū, ad tempus, ad indiuidua, & ad multas alias circumstantias. In his ergò versatur beneficium Dei nō supernaturale, vt nimirum eligat

&  
o-  
um  
on.  
à  
n.  
en-  
a  
le-  
que  
ec,  
ro-  
eto  
vl-  
de-  
rà,  
m,  
tu-  
Al-  
svt  
va-

gat eam partem talis disiuncti,  
quæ magis p̄tosit huic, vel illi  
creaturæ.

32 Secūdo aliquæ sunt o-  
perationes, quas potest facere  
quodlibet Agens spirituale, &  
scilicet motus locales corporū.  
Nam substantia materialis obe-  
dit Spirituali in ordine ad mo-  
tum localem; & quoniam cæ-  
teræ actiones dependent ab v-  
bicatione, ideò per hanc vim  
substantia spiritualis est domi-  
na substantiæ corporeæ. Non  
tamen potest creatura spiritua-  
lis ita mouere corporeã vt fiât  
ingentes mutationes in mun-  
do. Cuiusmodi esset profun-  
dere in terras totum mare; Itē  
non posset frequenter facere  
illos motus, qui manifestè ap-  
pareant profecti ab aliquà vir-  
tute

tute superiore. Has enim virtutes noluit Deus (itā exigentē naturā) posse frequēter mutare illos effectus, quorū certitudinē hominibus præstat hic status rerum naturalium, nisi ab aliquā eminentiori potentiā dimoueat, aliòquin semper in applicandis medijs maneremus incertū de euentu fortè impediendo ab aliquā vi superiore: Denique non est naturale vt eiusmodi motus extraordinarij ab Angelis, quamuis occultè, fiant valdè frequenter (licet fieri possint aliquantò frequentius, quàm manifestè) sequeretur enim labefactari argumentum ab inductione, dum tribueremus naturis rerum illos effectus quī re ipsā pronenirent ab impulsu per Angelos iniecto.

Cæte-



33 Cæterùm positis his tribus limitationibus potest Angelus naturaliter mouere corpora, ergò non est cur idem nõ possit Deus, quippè qui in hoc non agit tanquam Princeps, sed quasi tanquam priuatus ciuis. Hæc verò doctrina consonat cum ijs, quæ habet S. Thom. in quæst. 6. de miraculis præsertim art. 3. in corpore vbi distinguit miracula ab illis effectibus, qui producuntur per causas naturales motas & applicatas à causà supernaturali. *In miraculis inquit, producuntur effectus absque actionibus naturalibus à causà supernaturali, producere autem aliquem effectum, quem vel natura producere non potest, vel non ita conuenienter mediante actione principiorum naturalium*  
*artis*

*De Fide, Spe, &c. Cap. III. 49*  
*artis est.* Ex quo infert effectus  
angelorum in his inferioribus  
esse opera artis, & non miracu-  
la. Ideò non sunt supernatu-  
ralia beneficia, quæ petimus à  
Deo circa pluuias, serenitatem,  
bonam valitudinem, excitatio-  
nem phantasmatum, & alia  
huiusmodi. Hæc enim omnia  
fiunt per motum localem non  
habentem vllam ex illis tribus  
conditionibus, in quibus osten-  
dimus esse contra ordinem na-  
turæ, quòd substantiæ spiritua-  
les separatæ moueant corpo-  
ra. Idque consonum est com-  
muni conceptui hominum, qui  
valdè fidentiùs petunt à Deo  
eiusmodi beneficia, quàm vt  
cæco nato reddat visum, & alia  
similia, quoniam nō concipiūt  
per illa mutari ordinem natu-

C ræ

tri-  
An-  
cor-  
nō  
hoc  
sed  
uis.  
nat  
i.in  
tim  
guit  
qui  
tu-  
au-  
ubis  
abs  
can  
utē  
na-  
vet  
te  
um  
s

ræ, sicut per ista. Cum ergò locutio sit aliqua operatio quæ potest fieri à Deo per solum motum localem producentem sonos sensibiles, vel per internā excitationem phantasmatum, non est cur dicatur actus supernaturalis.

34. Posse verò Deum naturaliter loqui, probatur positivè ex multis. Primò, quia est dominus, ergò naturaliter potest imponere novas leges, & præcepta, sed hæc importarent locutionem Dei, vt patet de omni nouà lege, & non insitã per lumen rationis, ergò naturaliter loqui potest. Quòd verò spectet ad dominium, posse iniungere naturaliter nova præcepta, videtur evidens, debet enim seruus ità pendere à nutu do.

domini, vt non habeat tantam certitudinem, quòd Dominus nihil illi præcipiet, quantam habet, quòd sol cràs orietur; ergò non debet hoc præceptum esse aliquid supernaturale. Nā de futurà negatione rei supernaturalis habemus physicam certitudinem, præsertim si versaremur in purà naturà in quà nihil supernaturale cōtingeret, sicut habemus nunc de crastino ortu solis.

35 Imò verò ne per ipsam quidem legem naturalē agnoscere possumus Deum vt Dominum nisi sciamus illum posse nobiscum dispensare liberè in eiusmodi præceptis saltem mutando materiam. Aliòquin cognoscemus quidem in Deo rationem primæ regulæ, sed nō

ratione dominij, quod semper importat libertatē ad duo opposita. Hæc autem dispensatio non posset fieri nisi per locutionē. Præterea scimus Deū aliquādo locutum esse Dæmonibus vt habetur in libro Iob; & tamen Dæmones non participant nunc aliquam cognitionē supernaturalē in ratione entis, qualis esset illa cognitio locutionis diuinæ, si hæc locutio esset supernaturalis, & proinde eiusdem rationis, ac illa, quæ est obiectum fidei nostræ, vt asserunt aduersarij. Et ideò S. Th. 1. p. q. 64. art. 1. nō concedit in Dæmonibus cognitionem ne speculatiuam quidem rerum supernaturaliū, nisi modo conaturali.

36 Non tamen quodcumque  
que

*De Fide, Spe, &c. Cap. III. 53*  
que genus locutionis diuinę po-  
test fieri sine supernaturalitate;  
cum enim locutio per Aristo-  
telē in libris *Perhier.* alia sit *enū-*  
*ciatiua*, alia *optatiua*, quarum  
prima est primò, & per se com-  
municatiua scientiæ, secunda  
verò est motiua voluntatis, &  
hæc diuidatur ibi à S. Thomã  
in *vocatiuam*, *interrogatiuam*,  
*deprecatiua*, & *imperatiuam*;  
hoc vltimum genus tātum lo-  
cutionis optatiuæ, hoc est *im-*  
*peratiuã* dicimus posse esse non  
supernaturale in Deo. *Deprecari*  
enim est inferioris, vel saltē nō  
Domini. *Interrogare*, & *voca-*  
*re* tandem vel est imperiū vel  
deprecatio de attētionē, vel re-  
sponsione? Item locutio *enun-*  
*ciatiua*, tanquam actus omni-  
nò socialis, & conueniens po-  
tiùs

tius in amicum, quàm in seruū, videtur superare conditionem creaturæ. Non sic locutio *imperatiua*. Siquidem licet etiam illa, sicut omnis tandem locutio, sit communicatiua scientiæ; tamē ex suo modo tendendi nō est ordinata ad hanc cōmunicationem tanquam ad finem; sicut locutio *enunciatiua*. Et ideò ab Aristotele dicitur non inesse locutioni optatiuæ veritas, aut falsitas & eam conuenire nō Philosopho, sed Rhetori, vel Poetæ. Quoniam scilicet non habet pro fine veritatem, sicut locutio Philosophi, sed motionem affectus.

37 Præter has locutiones potest etiã naturaliter exerceri à Deo in creaturas locutio *conuiciatiua*; quæ pariter licet communi-

muni-

municet aliquam scientiam; tamen non est ordinata ad scientiam audientis tanquam ad finem; sed tanquam ad medium doloriferum. Quomodo omnes aliæ pænæ à superiore illatæ communicant punito scientiam de indignatione superioris, nec tamen sunt fauor superioris erga punitum.

38 Neque satis probatur omnem Dei locutionem esse supernaturalem ex eà communi definitione, quòd supernaturale sit *quidquid sciri nequit sine reuelatione Dei*; huiusmodi autem sit omnis Dei locutio. Respondemus enim, eam definitionem egere duplici limitatione. Altera est, vt non sit vera nisi in ordine ad entia creata: nam certè Trinitas, decretum libe-



rum Dei, modus quo Deus potest gubernare cum supremo dominio potentias liberas, & alia eiusmodi sunt aliquid naturalissimum, quippè necessarium; & tamen nō possunt sciri sine Dei reuelatione.

39 Altera limitatio est, vt id intelligatur tantū de omnino, quod distinguitur ab ipsa reuelatione. Id enim est supernaturale inter obiecta creata, quod scitur ab intellectu diuino, & mediante illo Magistro tantū cognosci potest ab intellectu creato; nā hoc ipso est tale, vt superet & perspicaciā cuiuscūq. intellectus creati, adeòq. superet vires effectrices naturæ, quippè quæ nihil potest facere, quod nullus intellectus creatus suis viribus possit cognoscere,  
cum

*De Fide, Spe, &c. Cap. III. 57*  
cum finis naturæ sit scientia in-  
tellectus creati. Verùm tamen  
hoc non habet locum in ipsà  
Dei reuelatione, quippè quæ ideò  
non potest sciri, nisi ex supposi-  
tione quòd Deus reuelet ali-  
quid, nō quia ipsa sit obiectum  
difficile cognitu, sed quia in eo  
tantùm casu illa potest existe-  
re, sed posito quòd existat, non  
superat vim intellectus creati.  
Aptum exēplum huius rei est  
in creaturis : si enim esset ali-  
quod obiectum distinctū à meà  
locutione, quòd Petrus non  
posset scire, nisi per meam locu-  
tionem, vtique ex hoc appare-  
rem ego circa illud obiectū su-  
perare intellectum Petri & esse  
illius Magister : at Petrus non  
potest scire meam locutionem  
quin ego loquar; nec tamen per  
C S hoc

hoc dicitur mea locutio superare intellectū Petri, aut Petrus esse discipulus meus in ordine ad illam; quoniam hæc impotentia Petri nō prouenit ex eò, quòd Petrus de se sit impar huic obiecto, sed ex eò quòd mea locutio non potest existere sine meà locutione.

40 Denique non probat supernaturalitatem locutionis diuinæ ratio illa, quòd Deus nō possit naturaliter obligari, & tamen quòd omnis locutio obliget Deum ad verificandum id quod dicit. Respondetur enim, Deum nō posse naturaliter obligari ad futura; quoniam intellectus creatus non potest habere aliquod præsens naturale, ex quo per summam certitudinem sciat id, quod erit, adeo.

*De Fide, Spe, &c. Cap. III. 59*  
adeòque cognoscat sibi inutile  
adhibere orationem ad impe-  
trandum à Deo id, quod sibi est  
melius. Ac proindè omne  
præfens naturale relinquit Deū  
indifferentem ad futura, & om-  
nis causa, ac conditio natura-  
lis præcedens est impedibilis ab  
absolutà Deipotestate. Ex quo  
ritè infertur non posse naturali-  
ter Deum creaturæ aliquid pro-  
mittere.

41 At non repugnat Deū  
naturaliter facere aliquid, quod  
non posset facere, nisi ex aliqua  
suppositione antecedenti: sic  
enim non posset nobis dare  
hoc lumen rationis, quod de  
facto habemus, nisi haberet eas  
voluntates, & complacentias,  
quæ per hoc lumē rationis no-  
bis implicitè manifestantur. Pa-

C

6

riter

riter non potest ponere aliqua entia, nisi ex suppositione aliorum Entiū. vt v.g. modos sine rebus. Itā similiter non potest ponere locutionem, quin habeat illam scientiam, quæ per talem locutionē significatur. Neq. verò locutio imperatiua, quam dicimus naturaliter usurpari posse à Deo, est reuelatio de aliquo futuro absolutè, sed tantum sub hac conditione: *si creatura existat, & Deus non dispenset*: sub quibus conditionibus manifestat nobis futura etiam lex naturalis & lumen rationis.

42 Non potest tamē Deus naturaliter loqui clarè; tunc enim clara est locutio alicuius, quādo patet eū esse authorem talis locutionis, & quidem in

ge-

*De Fide, Spe, &c. Cap. III. 61*  
genere causæ particularis; nã in  
genere causæ vniuersalis Deus  
est author omniũ rerum, quare  
ille vniuersalis cõkursus ad locu-  
tionem, nõ sufficit vt Deus de-  
nominetur *locutor*. At Deum  
esse authorem particularem a-  
licuius locutionis nobis patere  
non potest propter eandem ra-  
tionem, propter quam *libro su-  
periore* probauimus non posse  
quempiam cognoscere natu-  
raliter supernaturalitatẽ vllius  
effectus, quia scilicet neque  
habemus conceptum propriũ  
Dei, neque comprehendimus  
vires causarum naturalium vt  
potẽ syncategorematicẽ infini-  
tas; ex quo fit nunquam lique-  
re nobis aut specialem congrui-  
tatem alicuius effectus cũ Deo  
aut imbecillitatem totius na-  
turæ

turæ possibilis ad eum præstā-  
dum.

43 Imò verò non potest  
Deus naturaliter efficere locu-  
tionem, quam esse diuinam,  
teneamur credere sine formidi-  
ne etiam radicali. Nam præter  
creationem rerū ex nihilo, om-  
nes operationes, quas Deus po-  
test naturaliter facere sunt tales,  
vt illæ eadem potuissent in ali-  
quo casu fieri vel à Deo ad exi-  
gentiam naturæ, vel ab aliquà  
causà naturali: aliòquin supe-  
rarent vires totius nature. Ergò  
nulla locutio Dei naturalis ex-  
terna est huiusmodi, vt sit essen-  
tialiter locutio Dei, hoc est pro-  
ueniens à Deo in genere causæ  
particularis: quòcirca non po-  
test dare fundamentum credē-  
di super omnia eam esse locu-  
tio.

tio.

tionem Dei, sed tantum credendi hoc prudenter, sicut tenemur credere esse literas regis illas, quæ ex moralibus indicijs tales apparent, licet non implicet eas esse supposititias.

44 E contrariò asserimus, videntibus Deum non posse Deum loqui obscure per locutionem, quæ sit essentialiter locutio Dei, ac proinde exigens assensum super omnia. Ut id probemus, primò supponimus non posse quempiam de eodem obiecto immediato, & affirmato per se, non per aliquas præmissas, habere duo iudicia, alterum clarum, alterum obscurum. Nã iudicium clarum est actus necessarius, ac propterea præueniens omne exercitium voluntatis,

tatis,



tatis; actus verò obscurus est liber, adeòque dependens à voluntate, ergò est posterior naturà quolibet actu claro: sed implicat, quòd ego cognoscā obscure in posteriori signo id, quod cognosco clarè in priori. tota enim claritas quæ est in signo priori pertingit etiam ad omnia signa subsequencia, ergò non possunt in eodem instanti esse duo iudicia immediata de eodem obiecto, quorum alterū sit clarum, alterum obscurum, quidquid sit an claritas, & obscuritas possint conuenire in duobus iudicijs mediatis quippe quæ non sunt planè de eodè obiecto, sed de cōnexione eiusdem conclusionis cum diuersis præmissis.

45 Hoc posito sic argumē-  
tamur

tamur. Videns Deū haberet iudiciū clarum, immediatū, quòd Deus esset author illius reuelationis, ergò nō posset habere de hoc iudiciū obscurū immediatum, quale est iudicium fidei.

Assumptum probatur, quoniā videns Deum habet visionem

Dei claram, quæ ex peculiari etiā capite nequit esse posterior

naturā ad talem actum obscurū: ne scilicet aliòquin in priori

naturā ad visionē Dei daretur pro eodē instāti potētia discre-

dendi, & peccandi, quæ tanquā miseria, non potest coexistere

cum visione beatificā: rursus pro eo priori videns Deum, non

potest dubitare de vllō prædicato necessario Dei. Sed esse in-

dixinctū ab authore illius locutionis, quæ est essentialiter locu-

tio-

tio Dei est prædicatū necessariū  
Dei, ergò hòc ipsò quòd Beatus  
apprehendat hoc obiectum, nō  
potest de eo dubitare, sed habet  
de illo iudicium clarum.

46 Probatur maior, in quā  
solā potest esse difficultas, quia  
omne prædicatum est forma-  
lissimè *vel perfectio simpliciter  
simplex, vel imperfectio*. Quoniā  
vt ostēdimus in lib. de Act. hu-  
manis *bonū, & malum, perfectio,  
vel imperfectio, & similia* nō sūt  
prædicata prima, quæ cogno-  
scantur in seipsis vt *albedo, ni-  
gredo, &c.* sed sunt prædicata  
secunda, quæ cognoscuntur  
ex perfectā cognitione alicuius  
prædicati primi & fundamen-  
talis vt v.g. *sapientie, pulchri-  
tudinis &c.* ergò est ~~æquè per-  
fecta, vel imperfecta,~~ ipsa *perfe-  
ctio,*

*ctio,*

*ctio vel imperfectio*, non est aliquod prædicatū diuersum omninō à cæteris, sed est aliquod prædicatum trāscendenter imbibitum in cæteris, quasi *uniuersale* respectū cæterorū quasi particularium.

47 Nos tamen qui non habemus claram regulam perfectionis, & imperfectionis; sæpè dubitamus circā multa prædicata nūm dicant perfectionē, an imperfectionem. Sicuti qui non habet conceptum propriū clarum lineæ rectæ, potest dubitare, an hæc vel illa linea sit recta, nec nè. At Beatus habet clarissimum conceptum *summi boni, sumæque perfectionis*, hoc est *Dei*, de cuius essentiā est *esse omne bonum*, ergò per comparisonem ad illum clarè agnoscit

scit in quocunque prædicato  
 rationem *perfecti* vel *imperfecti*  
 sicut qui haberet clarissimam  
 cognitionem *lineæ rectæ*, prout  
*rectæ*, videns quamcumque  
 aliam lineam sub eâ ratione,  
 sub quâ non est *recta*, statim  
 discerneret nō esse *rectam*. Cū  
 ergò hoc quod est, esse *indistin-*  
*ctum ab authore illius locutionis*,  
 sit prædicatum includens sum-  
 mam, & infinitam perfectio-  
 nē, non potest Beatus per cōpa-  
 rationē illius prædicati cū Deo  
 nō cognoscere illud inesse Deo.

48 Cōfirmatur, quoniā spe-  
 ctat ad rationem beatitudinis  
 nō posse Beato apparere Deum  
 sub quocumq. conceptu vero,  
 quin sub tali cōceptu adoretur,  
 & ametur à Beato: sed nō potest  
 adorari, & amari perfecte, quin  
 cla-

clarè agnoscat, ergò. Accedit, quòd aliòquin Beatus posset dubitare, an Deus sit canis, aut lapis. non enim est magis propriū Dei esse non lapidem, quàm nō esse aliū ab authore illius locutionis. Deniq. Beatitudo excludit possibilitatē omnis miseræ, adeòq. etiā erroris, ergò Beatus videt clarè, se non posse errare; ac proinde videt clarè omnem actum, quem ipse potest facere, esse verum, ac de primo ad vltimum est incapax dubitationis, & obscuritatis.

49 Neque pariter fides nostra, quam essentialiter esse obscuram supponimus ex definitione Pauli, potest coniungi cū euidentiā in attestante, per quā scilicet nobis pateret, Deum summè veracem esse illum qui loqui-

loquitur. Nam euidentia vnde-  
 decunque proueniat aufert ob-  
 scuritatē: aufert quoque liber-  
 tatem, quæ videtur esse de ra-  
 tione non solū fidei nostræ su-  
 pernaturalis, vt probatur te-  
 stimonio Conciliorum, & Pa-  
 trum; sed de ratione cuiuscun-  
 que fidei in genere, quæ sem-  
 per sonat voluntariū obsequiū  
 præstitū illi, cui credimus. Af-  
 ferimus quoq. hōc ipsō quōd  
 pateat aliquam esse locutionē  
 Dei, & habeamus veram no-  
 tionem horum terminorum  
*locutio*, & *Deus* non posse  
 quempiam dubitare de vera-  
 citate loquentis, ac proinde  
 non posse exercere fidem.  
 Nam *locutio* essentialiter importat  
 obligationē *veracitatis*. Deus  
 autem essentialiter importat

*ens*

De Fide, Spe, &c. Cap. III. 71  
ens carens omni defectu, atque  
ita, non potens operari contra  
obligationem.

## CAPVT IV.

In quid resoluatur obiectum for-  
male fidei. An <sup>hinc</sup> ex imperio vo-  
luntatis, vel ex memoria possit  
asserere aliquid sine motiuo. An  
possimus credere super omnia  
ex apparentiâ fallibili. An  
ultimum iudicium practicum  
sit semper evidens metaphysicè,  
quomodo possit pendere ab er-  
rore, quid sit prudentia, quid  
actio, quid factio.

50 **N**odus quæstionis est  
quoniam vel cre-  
dimus propter motiua huma-  
na,



na, & hæc videntur fallibilia, nec habentia certitudinē plūquam moralem, & per illa non tam credimus Deo, quàm rationibus creatis: vel credimus propter reuelationem Dei immediatè, & cum hæc non sit euidens, non est proindè magis credibilis per se ipsam, & independenter ab alio motiuo, quàm sit quodlibet obiectum ignotum vt v. g. paritas fyderum. In hac ergò quæstione primò asserimus non posse voluntatem pro libito mouere intellectum ad credendum immediatè id, quod ex terminis non apparet potiùs verum, quàm falsum. Est Arist. 3. de anima text. 153. docentis esse quiddam in potestate nostrà imaginari, non autem opinari, idque proba-

proba-

probantis, quia alioquin esset  
in nostra potestate cū volumus  
lætari, lætitia enim, & tristitia  
opinionem boni, vel mali euen-  
tus sequuntur.

51 Hoc idem cōfirmatur  
à priori, natura enim inclinavit  
intellectum ad verum; ergò nō  
debit dare illi facultatem cre-  
dendi id quod ex nulla appa-  
rentia p̄fert veritatem: nec e-  
nim potentiæ particulares ha-  
bent vim operādi quidquid est  
bonum generatim indiuidui; a-  
lioquin grauitas deberet aliquā  
do habere vim ascendendi, &c.  
Sed id quod est bonū particula-  
re tali potētiae; quare intellectus  
nō habuit vim operādi eo mo-  
do ex quo sequeretur quodlibet  
bonum hominū, sed ex quo se-  
queretur bonū particulare in-

D in.

intellectus, hoc est veritas.

52 Nostram conclusionem experientia comprobata, nemo enim experitur, se aliquid vnquam posse credere, & simul videre quod in illo obiecto nihil apparet cur credi debeat. Propter has autem rationes existimamus, hunc modum credendi, ne diuinitus quidem exerceri posse, cum Deus non possit eleuare vllam potentiam intentionalem ad amplectendum aliud quàm suum obiectum, atque adeò non possit facere, vt intellectus amplectatur nisi *verum apparens*. Et certè in actibus fidei non habemus experientiam huius magnæ diuersitatis ab alijs iudicijs naturalibus vt illi, & non hæc tendant in planè ignotum. Nequidum

dum

dum imperamus nobis actum  
fidei, experimur quòd voluntas  
præcipiat intellectui talē mo-  
dum extraordinarium iudicā-  
di; quem tamen certū est etiā  
per aduersarios ab intellectu ex-  
erceri nō posse sine imperio vo-  
luntatis.

53 Minùs probabile cense-  
mus id quod alij docent; dum  
conantur rem totam ita expli-  
care. Afferunt conclusionem  
non distingui nisi extrinsecè à  
præmissis, hoc est illum actum  
hic, & nunc dici *conclusionem*,  
qui hic, & nunc ita est conne-  
xus cum affirmatione alterius  
obiecti, vt non potuisset exer-  
ceri sine illa, cum tamē illa hic  
& nunc potuerit exerceri sine  
ipso. licèt, inquiunt, potuisset in  
intellectu aliter disposito con-

tingere oppositum, vt scilicet ille idem actus, qui est conclusio, esset præmissa, & è conuerso. Ceterùm aiunt, postquam semel præbuimus assensum alicui conclusioni, species memoratiuas illius sufficere, vt intellectus iterum illi assentiatur sine vllis præmissis; Id verò quod naturaliter, vt contendunt, euenit in ceteris obiectis secundò affirmatis, supernaturaliter euenire in obiectis fidei primò affirmatis, vt nimirum possimus assentiri illis, quamuis sua pte natura ineuidentibus sine dependentia ab vllis præmissis. Nam contra hanc sententiam primò est id quod probauimus in libro de *actibus humanis*, scilicet conclusionem essentialiter attingere obiecta præmissarum

rum

rum, ac propterea esse actum  
diuertæ speciei intrinsecè à præ-  
missis.

54 Præterea species me-  
moratiuæ, vt notat Aristoteles,  
repræsentant obiectum, vt aliàs  
cognitum, ergò repræsentant  
aliquid aliud ex parte obiecti  
quod est nouum motium cre-  
dendi, nempè authoritatem  
nostri iudicij præteriti. Denique  
contra eam doctrinam ratio à  
priori est: nã vel obiectũ quod  
representatur, est aliqua existẽ-  
tia contingens, & eiusmodi o-  
biecta non possunt affirmari  
nisi dependenter ab aliqua co-  
gnitione experimẽtali de ipsis,  
aut de aliqua alia existentia cũ  
ipsis euidenter, vel probabiliter  
connexa: nam quælibet exi-  
stentiã contingens sicut non

habet ex sua natura, vt verificetur, ita ex pura apprehensione terminorum numquā mouet adiudicium affirmatiuum sui: vel si quod creditur est aliquod obiectum æternæ veritatis; & eiusmodi obiectum si ex vi terminorum apparent vera, non minus apparent prima vice, quā secunda. Ea igitur, quæ ex vi terminorum non possumus immediatè credere primà vice, neque credi poterunt immediatè secunda vice, nisi secunda vice apprehendatur tali diuersà apprehensione, atque apparentià, quæ præstet nouū motiuum ad illa affirmanda. Nam idem manens idem semper facit idem. Ergò falsum est id quod hæc sententia contendit in genere, scilicet posse aliquod

quod

quod obiectum ex puris terminis, & sine vlllo motiuo aliquādo esse credibile, aliquando non esse.

55 Cæterum quod spectat ad quæstionem nostram, obiecta fidei pleraque sunt contingentia, scilicet ea omnia, quæ distinguuntur à propositionibus æternæ veritatis. Et certè semper includunt aliquod contingens, hoc est diuinam reuelationem. Ergò affirmari non possunt nisi dependenter ab aliqua cognitione experimēntali.

56 Putant alij probabilius, reuelationem diuinam esse obiectum immediatè, non quidē euidens, sed plusquam probabile. Cum enim omnes illæ coniecturæ; quæ nobis persua-



dent Deum loqui, sint pars intrinseca locutionis diuinę vt ostendimus in libro *de actibus humanis*, nihil est necesse vt reuelatio Dei credatur propter aliquod motiuū ab ipsa distinctum; sed quidquid eam reddit credibilem, identificatur cum ipsa. Aiunt verò, licet apparentia illa non sit euidens, sufficere tamen vt intellectus immediatè possit illi assentiri. Neque enim est necesse vt omnis assensus immediatus sit euidens, alioquin nullus daretur assensus ineuidens; omnis namque assensus mediatus resoluitur in aliquem immediatum, & in connexionem inter obiecta vtriusque, quę pariter immediatè credatur: ergò nisi aliquod obiectum immediatè

*De Fide, Spe, &c. Cap. IV. 81*  
diatè crederetur ineuidēter; ni-  
hil ne mediatè quidē crederetur  
ineuidēter; Quod benè vidit A-  
rist. definiendo opinionē *assen-*  
*sum non necessariū vacātē medio.*

57 Addūt verò sicut ex im-  
perio volūtatis mouetur intelle-  
ctus ad credendū obiectū pro-  
babile quod posset nō credi (ni-  
si enim hoc pēderet ab arbitrio  
voluntatis, iudiciū temerarium  
nō esset peccatū, neq. iniuria)  
itā posse voluntatem imperare  
intellectui firmitatē, quæ supe-  
ret apparētiā obiecti. Atq. ad eō  
posse eū prudenter ex motiuis  
suadentibus obligationem cre-  
dendi super omnia, imperare  
intellectui vt credat obiectum  
obscurum super omnia. Afferūt  
denique illa motiua, quæ in-  
trinsecè attinguntur ab assensu

D § in-

intellectus aliquando esse talia, ut cum illis posset coniungi falsitas; veluti quādo rusticus credit propter assertionē Parochi. Si tamen re ipsa motiuum illud sit verum, & voluntas prudēter imperet intellectui assensum super omnia ex illo motiuo, vtiq; habitum fidei cōcurrere ad actum essentialiter verum, & supernaturalem; sin altera ex illis conditionibus desit, elici assensum super omnia, sed naturalem, & fallibilem.

58 Hæc doctrina, quæ in cæteris placet, in hac vltima parte nō recipitur à nobis; Putamus enim nō posse honestè, & verè credi aliquid super omnia propter motiuum fallibile. Nā vt indicauimus cap. i. quoties obiectum est tale vt possimus

MUS

mus de illo verè affirmare totū  
hoc quod apparet est coniungibile  
cum falsitate, & aliquādo cū fal-  
sitate coniungitur, toties pos-  
sumus de eo formidare sine er-  
rore, & non possumus sine er-  
rore illud credere firmissimè, &  
super omnia.

59 Probatur primò autho-  
ritate D. Th. qui q. 14. de fide  
art. 8. hæc habet. Nullus habi-  
tus habet rationem virtutis, nisi  
ille cuius actus sēper est bonus, ali-  
ter nō est perfectio potentia. Cum  
igitur actus intellectus sit bonus  
ex hoc quod verū consideret oportet,  
quod & habitus in intellectu  
existēs virtus esse non possit nisi  
sit talis quo infallibiliter verū di-  
catur: ratione cuius opinio non est  
virtus intellectualis, sed scientia  
& intellectus ut dicitur in 6. Et

D 6 hic.

hic. hoc autē fides nō potest habere, quæ virtus ponitur ex ipsa rerū evidētia, cū sit nō apparētīū. oportet igitur quod hoc habeat ex hoc quod adheret alicui testimonio in quo infallibiliter veritas inuenitur. Sicut autē esse creatū quātū est de se vanū est, & defectibile nisi cōtineatur ab ente increato, ita omnis veritas creata defectibilis est, nisi quatenus per veritatē increatā rectificatur. Vnde neq. hominis neq. Angeli testimonio assentire infallibiliter in veritatē duceret nisi quantū in eis loquētis Dei testimoniū cōsideratur. Vides D. Th. requirere ad virtutē intellectualem & nominatim ad fidem motiuum infallibile.

60 Hoc idem probatur ratione, nam credere aliquod firmissimè, non est credere quod illud

lud

lud sit verum necessarium. firmissimè enim vnusquisque nostrum credit, se existere nunc contingenter; Item formidare non est; putare obiectum affirmatum esse contingens. Nam scholastici formidant de suis opinionibus circa predicata Dei, quæ tamen putant necessaria, hoc ipso quòd putant vera: cū in Deo cuncta vera sint necessaria; Igitur credere aliquid sine formidine, & super omnia est credere aliquid per modum tendendi firmissimum, & reddentem intellectum quietum, & imperturbabilem, adeòque pugnantem cum quacunque leui formidine. Hic autē assensus firmissimus semper includit hoc, quod est, credere quod nec motiuum, à quo inducimur ad credendum, nec aliud illi

illi simile, & aequale per ullam potentiam sit separabile à re ad quam credendam mouet. Quis enim dicat eum esse omnino quietum, & imperturbabilem à suo assensu, qui putat, totum id à quo immediatè mouetur ad assentiendum posse stare cum falsitate obiecti, cui assentitur.

61 Ita super omnia & sine formidine credo me existere, & me cognoscere, quia motiuum est ipsa mea existentia, & mea cognitio, quæ non sunt separabiles à se ipsis. Non ita credo super omnia, existere Petrum, quem video, nam motiuum, quod habeo, est ipsa sensatio de operationibus Petri, quæ sensatio posset saltè miraculosè existere, quin existeret Petrus. Pariter non credo super omnia, Deum

Deum esse intrinsecè connexū cum creaturis, quoniam, licèt putem motiuum, quod habeo ad id credendum, non esse separabile à re quam credo, quipè ab ente necessario; puto tamen, posse aliud motiuum æqualis apparentiæ esse fallax, & separabile ab illa re ad quam credendam mouet. Hæc ergò maior, vel minor connexio, quam iudicamus inter motiuū (non tantum in indiuiduo acceptum, sed quasi specificè, & secundùm æqualem apparentiam) & inter rem propter illud creditam est aliquo modo mēsuræ firmioris, vel infirmioris existimationis.

62 *Dixi, aliquomodo;* Cum enim aliquæ sint apparentiæ, in quibus hæc connexio est eu-  
dens



deus, hoc est necessitans intellectum ad eam affirmandam, alię verò in quibus est evidens separabilitas, adeòq; necessitās intellectum ad eam connexionem negandam per formalem formidinem in assensu inclusam, sola apparentia articulo- rum fidei eiusmodi est, vt inclinet quidem, sed non necessitet intellectum ad affirmandam eiusmodi connexionem inseparabilem, adeòque possit in illis hæc ipsa connexio ex imperio voluntatis credi per actum fir- miorē, vel infirmiorē, vt infra magis explicabitur.

63 Non possunt ergò stare simul hæc duo iudicia: ego credo sine formidine, & super omnia, Christum esse incarnatum, sed credo quòd tota illa apparentia, que

que

*De Fide, Spe, &c. Cap. IV. 89*

*qua mouet me ad ita existiman-*  
*dū, coniūgi possit cū negatione In-*  
*carnationis. Et certè iste assensus*  
*esset imprudens & supra meri-*  
*tū obiecti, adeòque nō esset ho-*  
*nestè imperabilis nisi ex igno-*  
*rantia, ac proindè non potest*  
*esse actus fidei. Confirmatur*  
*q̄ uoniam Patres, & Scholastici*  
*dicunt, peccatum infidelitatis*  
*in eo cōsistere quòd faciat Deū*  
*mendacem. Et S. Paul. consti-*  
*tuit firmissimum solatium nostrū*  
*in hōc quòd impossibile est*  
*mentiri Deum. At si motiua*  
*obligantia ad credendum pos-*  
*sent coniungi cum falsitate, ac*  
*proinde possent non esse locu-*  
*tio Dei, hæc sequela esset irrita.*  
*Incredulus enim diceret, & qui-*  
*dem verè: Ego credo Deum non*  
*posse mentiri, sed nego istā quam*  
*expe-*

*experior, esse Dei locutionem, quia scio posse dari totum id quod experior, quin Deus loquatur: Ergò ex eo quod ego non credam hanc esse Dei locutionem, nullam facio iniuriam diuinæ Veracitati. Et porrò si credere super omnia, & cum summa certitudine, est credere non posse rem aliter se habere, vt communiter Philosophi explicant, implicat credere super omnia, & simul credere posse, rem aliter se habere.*

64 Probabilius ergò est, nūquam exerceri verum actum fidei, quin motiua sint talia, vt essentialiter sint locutio Dei: Aliquando quidem habent essentialiter hoc prædicatum, quod est, *esse locutionem Dei*, etiam sola motiua externa cuiusmodi sunt illa, quæ habet tota Ecclesia,

fia,

quia  
ex-  
Ergo  
anc  
facio  
Et  
ia,  
, est  
er se  
ilo-  
de-  
de-  
e.  
nū-  
m  
, vt  
:A-  
fen-  
iod  
m  
odi  
cle-  
a

fia, & vir doctus. In quo sen-  
su dictū est à Ricardo de S. Viçt.  
lib. 1. de Trinitate cap. 2. si er-  
ror est quem credimus, nos ef-  
se deceptos à Deo, cum ille, &  
non alius potuerit ea præstare  
miracula, quibus inducimur ad  
credendum; quando verò ru-  
sticus credit, si motiua externa,  
quæ illi proponuntur non sunt  
inseparabilia à veritate obiecti,  
dicimus non esse infallibile  
quod Deus semper præstet au-  
xilium ad actū fidei per illam  
vocationem altam, & secretā,  
de qua supra locuti sumus: sæpè  
tamen Deum interiori instin-  
ctu supplere insufficientiam  
obiecti exterioris; quàm senten-  
tiā tradit D. Th. 2. 2. q. 2. art. 9.  
ad 3. vbi de illo qui credit sic  
habet: *Inducitur autoritate di-*  
*uina*

uina doctrina miraculis cōfirmata, & quòd plus est interiori instinctu Dei mouentis, ideò non leuiter credit; Vbi apertè loquitur non de motiuis, quæ habemus ad uolendū credere; nam priùs quā credamus non inducimur authoritate diuinæ doctrinæ; neque enim tunc agnoscimus illam tanquam authoritatem & doctrinam diuinam, alioquin crederemus antequā credamus; sed de motiuis, quæ habemus ad ipsum actum credendi. Eidem sententiæ fauet August. 11. Confess. c. 3. Et porrò existimamus diuinam bonitatem semper supplere per hanc interiorē uocem debilitatem motiuorum exteriorum in ordine ad illos pueros & rusticos, qui non omittunt culpabili-

bili-

biliter vllam diligentiam in quaerendis motiuis certioribus: praesertim verò id existimamus contingere super illis articulis quorum fides est necessaria necessitate medij ad iustificationem.

65 Neque verò hæc sententia, quæ celebris est apud insignes scholasticos, coincidit cū Hæreticis reuocantibus omnem fidei credibilitatem ad occultum instinctum Dei; satis enim ab eorum absurditate discedimus, dum fatemur, in tota Ecclesia esse discerniculum sufficiens exterius, & sensibile, ratione cuius possit probari summa credibilitas Fidei nostræ, & Hæreticorum pertinacia; de reliquo nihil necesse est, hoc discerniculum sensibile esse penes omnes priuatos, & rusticos  
qui

qui credunt: quandoquidem supra ostendimus, esse peculiare Dei beneficium, ac proinde non infallibile, nec sufficiens ad conuincendam exterius pertinaciam eorum, qui non firmissimè credūt, quoties Deus præstat cōcursum supernaturalem internum quando externa apparen- tia non est talis, quæ reddat inexcusabiles resistentes, modo tamen paulò antea explicato.

66 Neque difficilè est explicare, quomodo illa vocatio interna se habeat per modum motiui in ordine ad actum fidei. Cum enim iudicium vltimum reflectat supra iudicia præcedentia, imò in mea sententia etiam primum iudicium reflectat supra simplices apprehen-

hen-

em. hensiones, nō solūm ipsi termi-  
culia. ni obiectiui, sed etiam cog-  
indē. nitiones, & apprehensiones præ-  
ns ad. ccedentes sunt motiuū iudican-  
verti. di: & ideò eadem propositio o-  
emif. biectiua alijs quidem est credis-  
præ. bilis, alijs verò non credibili-  
alem. propter diuersitatem apprehē-  
ap. sionum. Quoties ergò myste-  
red. ria fidei apprehendūtur quod-  
tes, ammodo singulari, & suprahu-  
ex. mano, toties illa apprehensio  
est quædā interna locutio Dei,  
de qua dici potest *nec vox ho-*  
ex. *minem sonat*; & propterea mo-  
atio uet prudenter ad credendum  
lum. super omnia, quamuis obscure.  
n fi.

67 Neque obstat, quod ob-  
ulti- jciunt, illam interiorem co-  
cia. gnitionem nostram non tam  
sen- esse Dei locutionem, quàm  
um. nostram auditionem. Siqui-  
pre- dem



dem respondemus. in locutione creaturæ interuenire auditionem à locutione distinctam, quoniam locutor non concurrat saltem immediatè, & liberè ad actum auditionis in eo què ipsè alloquitur; at Deus non solum proponit obiectum exterius, sed etiam concurrat ad perceptionem ipsius obiecti: & ideò illa ipsa perceptio & quidquid mouet ad assensum, est pars diuinæ locutionis; siquidè vindicat sibi veram locutionis definitionem; nam fit à Deo ad finem manifestandi suum conceptum; & nisi fieret, non diceretur Deus completè locutus, quoniam non posuisset ex parte sua quidquid debuit ponere ad hoc vt audiens possit assentiri: cum tamen locutor crea-

tus

tus completè dicatur locutus  
etiã si is, quem alloquitur,  
nihil audiat, quia locutor co-  
natus est patefacere suum con-  
ceptum, quantũ potuit. Hæc  
eadem disparitas probat, licet  
in locutione humana interue-  
niat semper aliquod motuum  
credendi distinctum ab autho-  
ritate loquentis, hoc est notitia  
grammaticæ, aspectus loquen-  
tis, & similia, quibus deficien-  
tibus possemus non credere ni-  
hil negata veracitate loquen-  
tis; secus tamen esse in locu-  
tione diuina, quippè quæ, quan-  
do completa est, & propria,  
Dei, ita exigit fidem vt semper  
discredens faciat Deum men-  
dacem.

68 Nō tamen assentimur  
quibusdam ingeniosis recētio-

E

ribus

ribus, qui dicunt, credibilitatē nostræ fidei in eo sitam esse, quod experiamur credere nos posse super omnia obiectū obscurum. Primò enim hæc sententia dat ansam Prædicatoribus hæreticis, confirmandi sectarios in sua pertinacia. Cum enim illi dicāt, se credere super omnia, & quidem dicant ex animo, quandoquidem idē testantur, & narrant postquam sunt ad fidem conuersi, poterunt Prædicatores impij ita eos confirmare: *potestis credere super omnia, ergò habetis veram fidem.*

69 Præterea vel hæc experientia est patens, & discernibilis, vel est ambigua, & indiscernibilis: si primum, ergò datur miraculum perpetuum commune

munē

mune, & manifestum; experi-  
mur enim in actibus fidei mo-  
dum illum credendi, quē nemo  
vnquam experitur circa vllum  
obiectum naturale. Ex quo se-  
queretur valdē imminui meri-  
tum fidei nostræ, & posse nos  
discernere articulos veros à fal-  
sis; in illis enim, & non in istis  
hanc potentiam experimur. Si  
secūdum, ergò hæc experientia  
non præstat euidentiā credi-  
bilitatis, quippè quæ debet esse  
pura ab omni ambiguitate, &  
sicut est semper vltimum iudi-  
cium practicum.

70 Confirmatur, quoniam  
potentia exercendi aliquem  
actum non videtur cadere sub  
evidentem experientiam ante-  
quam ille actus exerceatur. A-  
lioquin Deus non posset suspē-

dere concursum in ordine ad illum actum, qui concursus est nouum Dei beneficium saltem generale: ergò antequàm velimus credere, nō experimur supernaturalem potentiam credendi. Confirmatur prætereà, quia sicut ex aliquo errore possumus existimare verū id, quod est falsum, & probabile, quòd est improbabile; ita possumus existimare necessarium, & infallibile id, quod est fallibile, ac proinde credere super omnia id, quod non mereatur huiusmodi assensum. Fatemur tamen id nunquam contingere circa locutionem Dei si adhibeamus omnem diligentiam, quam possumus: alioquin deciperemur circa illam deceptione inuitabili à uobis, atque  
adeò

adeò possemus conqueri de Deo, qui proposuisset nobis obiectum falsum non discernibile à sua locutione: ex quo fieret vt in omni casu possemus de simili deceptione formidare.

71 Probabile tamen est, omissionem illius diligentiae nobis possibilis non semper esse culpabilem, adeòque posse in illo casu exerceri voluntatem meritoriam credēdi super omnia ortam ab ultimo iudicio practico supernaturali. Neque dicas actum voluntatis supernaturalem non posse pendere nisi à iudicio verò, atque adeò non posse pendere ab actu erroris; distinguo enim assumptū: non potest pendere nisi à iudicio verò immediatè, concedo, mediatè, nego. Similiter enim

voluntas dandi eleemosinam pauperi existimato est actus supernaturalis meritorius, licet pendeat mediata à iudicio falso; immediata enim pendet ab hoc actu verò & euidentis; *positis omnibus cognitionibus: quas ego habeo, honestum mihi est secundum regulas misericordiae dare eleemosinam huic homini.*

72 Et vniuersim vltimum iudicium practicum semper debet esse actus metaphysicè euidens: porrò debet esse euidens, alioquin esset nobis liberum; ac proinde possemus prohibito illud suspendere, & sic non damnari à conscientia: & rursus debet habere, vt dixi, euidentiam metaphysicam, & infallibilem, alioquin possent contingere duo absurda. Alterum est,

est, quod aliquis operaretur secundum dictamen consciētiae, & tamen peccaret, quod implicat vt ostendi in lib. *de actibus humanis*. Alterum est, quod aliquis posset honestè operari cū aliqua formidine, quod eius operatio sit mala, & displiceat Deo; sola enim certitudo metaphysica expellit omnem formidinem, & reddit intellectum imperturbabilem. Hæc autem sequela admitti nō potest; quis enim dicat licere hunc actum: *volo ita operari licet fortasse ita operando nunc peccem & displiceam Deo?* Vtrique præceptum Domini lucidum illuminans oculos non potest relinquere homines in his angustijs.

73 Illæ igitur perplexitates conscientiae quas dicunt se pati

E 4 ho-



homines obnoxij scrupulis, vel sunt non tam de actibus presentibus, quàm de præteritis, quorum non habent memoriã adeò exactam, ac proindè suspicantur se per illos peccasse: vel nō consistunt in ultimo iudicio practico, sed in iudicijs antecedentibus, à quibus illud dependet. Quæ res vt clariùs exponatur ità casum fingo: Ex.g. potest quis credere, hanc esse diem Iouis, sed cum aliqua formidine, quod sit dies veneris. Item potest credere quod homo habens tale iudicium non teneatur eligere partem tutiorem, sed licitè comedat carnes; & hoc idem potest credere cū formidine: sed hæc duo iudicia sunt obiecta, & non præmissæ iudicij practici, quod habet

bet

*De Fide, Spe, &c. Cap. IV. 105*  
bet euidētiā ex his alijs præ-  
missis euidētibz, quoties ali-  
quis putat speculatiuē aliquam  
operationem esse talem, ut probi-  
bitio vniuersalis eam non compre-  
hendat, & simul putat, quod sub-  
latā ignorantia humanā liceret  
homini habenti euidētiā, de  
hoc axiōmate facere tunc illam  
operationem quā probabiliter pu-  
taret non comprehendī in probi-  
bitioe vniuersali, quamuis ha-  
beret formidinem de opposito, lici-  
tē præstat eam operationem. Sed  
ego versor in tali statu quoniam  
experior id me putare. Ergo, &c.

74 Putare enim quod liceat  
sequi sententiā non tutiorem,  
nihil aliud est, quā putare,  
quod si quis in hac re haberet eui-  
dētiā, & non opinionem qualē  
habemus ex ignorantia humanā.

E S fut

formaret hoc iudicium euidēs practicum: hoc licet. Et hinc est talem opinionem vniuersalem, quam de facto habemus ex ignorantia humanā, esse de obiecto diuerso ab obiecto vltimi iudicij practici, & ideò posse aliquid per illam credi illicitū, & per hoc credi licitum. Ex. g. si quis putet non licere in ientaculo ieiunij comedere sex uncias, adhuc potest in sensu cōposito formare hoc iudicium euidens; *licet mihi hic, & nunc comedere sex uncias*: nam illud iudicium vniuersale non est de inhonestate obiecti in his circūstantijs, sed de inhonestate illius obiecti si tolleretur ignorantia humana, & veritas euidenter pateret: cum hoc autem iudicio potest iungi aliud iudicium

cium

rium dictans, hominē qui putat non fore sibi aliquid licitū si res euidenter pateret; posse tamen id facere quando res euidenter non patet: sed sunt rationes hinc inde probabiles; ex quo iudicio infert ille homo: *probabilius est id mihi licere hic, & nunc quoniam versor in tali casu.*

75 Tunc porrò conficit hunc syllogismum euidentem: *Vnusquisque potest facere id quod sibi licere hic, & nunc putat probabilius omnibus pensatis, hoc est, putat ita fore euidentis si de hoc daretur euidentia. sed ego id puto, ergo.* Ex quā doctrina infertur non posse defendi id, quod aliqui docent, licere sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam ijs, qui speculatiue

putarent hoc non licere. Nam contra est, quia si putant hoc non licere, non possunt conficere penultimum iudicium, quod dicat: *ego puto id licere*, sine quo penultimo iudicio non potest confici ille syllogismus cuius conclusio sit: *id mihi licet*, ut supra demoustrauimus.

76 Aduertendum ergò est omnem conclusionem practicam dependere ab aliquibus præmissis speculatiuis, & quidẽ eidentibus; aliòquin conclusio ipsa non esset euidens. Ex istis verò præmissis altera debet esse vniuersalis, alioquin argumentum non esset informa; & hæc vniuersalis euidens non potest esse nisi hæc: *licet mihi facere hic, & nunc omne id quod omnibus pensatis puto quod hic, & nunc.*

*& nunc mihi liceret, si res esset e-  
uidens. Altera præmissa debet  
esse particularis, alioquin con-  
clusio non esset particularis, &  
non potest esse nisi hæc: ego  
experior hic & nunc id me pu-  
tare.*

77 Constat hinc qua ra-  
tione illa iudicia falsa specula-  
tiua conducant ad vltimum  
iudicium practicum verum:  
sunt enim nō quidē præmissæ,  
sed obiectum affirmatū vt exi-  
stens ab illa minori particulari,  
quæ, vt demōstrauimus, cōficit  
vltimū syllogismum, cuius cō-  
clusio est postremum iudicium  
practicum. Atque adeò (vt re-  
deamus ad quæstionem nostrā)  
potest aliquis error, non vt præ-  
missa, sed vt obiectum, condu-  
cere ad hoc iudicium verum, &  
super-

supernaturale: bonum est mihi  
hic, & nunc imperare assensum  
super omnia de hoc obiecto.

78 Id verò vltimum iudi-  
cium practicū licet semper sit  
euidens ac proinde necessariū,  
pendet tamen ab aliquo habi-  
tu supernaturali propter infir-  
mitatem potentiæ naturalis ad  
omnem actum supernaturalē,  
& vtilem ad vitam æternam, vt  
supra ostendimus. Hunc ha-  
bitum aliqui putant esse *Pru-  
dentiam supernaturalem*, sed  
verè hæc non est illa prudentia,  
per quam homines prudentes  
distinguntur ab imprudenti-  
bus; siuè enim intellectus erret,  
siuè nō erret in cæteris obiectis  
porrò quilibet tam prudens,  
quàm imprudens elicit illum  
vltimum syllogisimum necessa-  
rium

rium

*De Fide, Spe, &c. Cap. IV.* I I U  
rium & lumine naturæ cunctis  
notum, quem diximus, & sinē  
quo syllogismo nemo posset o-  
perari moraliter siuē in mate-  
ria naturali, siue in superna-  
turali.

79 Prudentia ergò per quā  
homines peculiariter dicuntur  
*prudentes*, cōsistit in quibusdam  
axiomatis speculatiuis, ex qui-  
bus pendeat vltimum iudicium  
practicum eligens id quod eli-  
geretur ab eo, qui haberet eui-  
dētiam circa illas veritates spe-  
culatiuas. Id tamen intelligi-  
tur humano modo, quocirca  
inter homines, ille dicitur pru-  
dens, qui habet eas veras co-  
gnitiones circa res agibiles, quę  
solent esse in hominibus sapiē-  
tioribus, & idem est dicere, *hoc*  
*erat faciendum secundum regulas*

*pru-*



*prudētia, ac dicere: suppositis  
veritatibus, quæ solent esse notæ  
circa obiecta agibilia hominibus  
sapientioribus, ita erat facien-  
dum.*

80      Atque ex his colligitur  
primò: quomodo coniungan-  
tur ea duo, quæ sæpè asserit A-  
ristoteles, scilicet Prudentiam  
esse unam ex virtutibus intelle-  
ctus, atque adeò talem habitum,  
de cuius ratione sit non posse  
elicere iudiciū falsum; Tūm ve-  
rò intellectum practicum, ad  
quem spectat prudentia, sem-  
per esse obnoxium errori, & ver-  
sari tantum circa ea, quæ pos-  
sunt aliter se habere. Nam illud  
primum intelligitur de illis  
axiomatis speculatiuis condu-  
centibus ad praxim, quorum  
evidens scientia prudentia est.

*Alte-*

Alterum intelligitur de illo penultimo syllogismo practico, quem supra retulimus, & cuius conclusio est opinatiua, tanquam pendens ab aliqua præmissa, quæ sit actus opinionis: quandoquidem sicut in scientijs speculatiuis propter humanam imperfectionem multæ conclusiones pendent partim à principijs eidentibus, partim à probabilibus; ita multò magis id contingit in syllogismis practicis, quorum conclusio est particularis, atque adeò pendet ab aliqua præmissa particulari, de qua non potest dari scientia quatenus particularis est. Nam quæ talis potest suspicari ne forte habeat aliquam circumstantiam, perquam non contineatur in eo axiomatico vniuersali, cui

cui tunc innitimur in discurrendo.

81 Colligitur secūdo, quomodo prudentia differat ab arte, eò quòd hæc dicatur versari circa factiones, illa circa actiones: non enim actio, & factio semper reipsa distinguuntur, sed eadem operatio sæpè dicitur *actio*, seu *praxis*, quatenus cōsideratur in ordine ad agens prout est utilis ad eius vltimum finem, hoc est foelicitatem. Dicitur verò etiam *factio*, prout spectat ad subiectum, in quo recipitur tribuendo illi aliquam perfectionem in ordine ad certum, & particularem finem; & sic ex.g. idem cantus Neronis erat mala actio, & contraria prudentiæ, bona factio, & conformis arti musicæ. Colligitur de-

de-

*De Fide, Spe, &c. Cap. IV. 115*  
denique, virtutes intellectuales  
practicas, hoc est artem, &  
prudentiam, esse re ipsa secun-  
dum se cognitiones speculati-  
uas, & vniuersales: dicit tamē  
*practicas*, quia ordinantur ad  
actionem, & conclusionem  
particularem: Quæ conclusio  
est hæc: *expedit mihi hic, & nūc*  
*ita operari in ordine ad talem fi-*  
*nem*; hic enim solus actus ha-  
bet modum tendendi peculia-  
rem, quo distinguatur à  
cognitione speculati-  
ua, sicut *locutio*  
*optatiua*  
distinguitur ab  
*enunciati-*  
*ua.*

CA.

## CAPVT V.

*Quodnam sit obiectum materia-  
le, & formale fidei. An hoc  
includat reuelationem crea-  
tam. ubi de obiecto formali  
in genere, Actuum, Habituum,  
Potentiarum.*

82 **O** Biectum materiale  
fidei non est quid  
determinatum positiuè sicut  
obiecta disciplinarum: pendet  
enim ab arbitrio Dei reuelare  
hanc, vel illam veritatem: qua-  
re est aliquid arbitrarium, &  
contingens, quod hæc vel illa  
obiecta materialia connectantur  
de facto cū obiecto formali fi-  
dei; est tamē obiectū materiale  
fidei aliquo modò determina-  
tum

tum

natum negatiuè, ita scilicet, vt non possit esse aliquod chimericum, & impossibile; Item, ità vt non possit esse aliquid incredibile, cuiusmodi est, *Deum nihil reuelare, aut, nullum fidei actum existere*: circa hæc enim omnia implicat exerceri actum fidei.

83 Obiectum fidei formale dicimus cum S. Thoma esse primam veritatem; non quidem primam veritatem in existendo, sed in loquendo; atque adeò fidem esse virtutem theologiam, quia totum eius obiectum formale est quid diuinum, sicut est obiectum formale spei, & charitatis, quæ conclusio vt probetur operæpretium est aliqua statuere de obiecto formali actuum, habituum, & po-

potentiarum in genere.

84 Et quidem sicut forma est illa, quæ dat esse rei, eamque constituit in aliqua specie determinata, atque adeò est principium cæterarum proprietatû, quæ rei conueniunt, ita obiectû formale est illud, per quod tales res constituuntur pertinentes ad talem actum, vel potentiã intentionalem, & quod est mē-  
sura cæterarum proprietatum, quæ illi actui, vel potentiæ conueniunt. Antecedenter tamen ad obiectum formale consideratur in qualibet potentia suus peculiaris modus tendendi, ita ut supposito eo modo tendendi assignetur pro obiecto formali id, cui modus ille tendendi vniuersaliter congruit, ut explicauimus in libro *de gratia a-*  
gen-

gentes de actibus supernatura-  
libus.

85 Obiectum ergò forma-  
le alicuius potentia assignatur  
illud vniuersale (nisi sit aliquod  
in creatum, quod semper est sin-  
gulare, sed magis indefectibile  
quàm ipsa vniuersalia) quod  
complectitur omnia ea ergà  
quæ talis potentia exercet suos  
actus primarios, & illos propter  
quos est principaliter instituta.  
Huiusmodi autem actus prima-  
rij sunt actus prosecutionis, &  
non actus fugæ: omnis enim  
potentia est instituta vt acqui-  
rat aliquod bonum, non vt ca-  
reat aliquo malo, ad hoc nãq;  
ultimum sufficiebat non pro-  
ducere vel talem potentiam,  
vel aliam, cui talis potentia in-  
feruiat. Sed ex necessitate ma-  
teria



teriæ prouenit, ut potentiâ creata in ordine ad bonum sit etiâ capax malis; atque adeò præter actus prosecutionis debeat exercere actus fugæ.

86      Ita obiectum formale intellectus dicitur *verum*, hoc est, *id quod apparet sicut est*; nã circa id omne intellectus exercet affirmationē, quæ est actus primarius potentię intellectiue. Et idem dicimus proportionalem de *bono* respectu voluntatis. Hoc idē valet in habitibus intellectualibus, atque ità respectu physicæ ex. g. obiectū formale est *mobilitas corporea*, physica enim innititur cognitioni, quam habemus à sensu interno, qui cognoscit motum sensibilem; & per illum tanquam per medium vniuersale physica

ca

ca assequitur distinctiones, causas, & proprietates rerum corporearum mobilium.

87 Obiectū verò mathematicæ dicitur *quantitas finita*; mathematica enim innititur quibusdam principijs notis ex lumine imaginationis, quæ non potest suū obiectum aliter concipere, quàm certis modis, ex quibus pendent prima principia mathematicæ. Imaginationis verò obiectum est omne, & solum quantum finitum. Denique obiectum formale metaphysicæ est *ens, ut ens*; quoniã licet metaphysica consideret etiam corpus mobile, & quantitatem finitam, non exercet tamẽ circa illa peculiarem modum operandi sicut circa illa exercet physica, & mathe-

F

mati-

matica; & idcirco ab his distinguitur; sicut intellectus ex obiecto formali distinguitur ab oculo, quia licet uterque attingat colorem, intellectus tamen non habet peculiarem modum attingendi colorem, diuersum ab eo, per quem attingit cætera obiecta, quæ sunt extra spheram oculi, ac proinde quibus non congruit modus cognoscendi proprius oculi. Sic ergo metaphysica innititur solis principijs notis lumine intellectus, cuius obiectum est omne ens; negationes verò si distinguuntur ab ente positiuo, non sunt obiectum prosecutionis, sed obiectum fugæ respectu intellectus. Non enim sunt directe affirmabiles.

88 Et ideò in substantijs se-

Para-

paratis, quæ carēt sensu, & imaginatione, omnis sciētia est metaphysica. An verò detur quarta scientia, quæ habeat pro obiecto non res primò intentionaliter consideratas, sed scientias ipsas, & modum, quo illæ operantur, & quæ vocentur *logica speculatiua*, non est huius loci examinare.

89 Itē obiectū formale huius vel illius virtutis volitiuæ est illa peculiaris bonitas honesta, quæ, cuicumque obiectio insit, allicit ad illud obiectum actū prosecutionis eiusmodi virtutis; Quamuis autē aliqui actus cuiuspiam habitus intellectualis, vel volitiui tendant necessariò in plures veritates, vel bonitates, ea tamen veritas, vel bonitas dicitur obiectum formale

huiusmodi habituum, cuius  
prosecutio est propria talium  
habituū prout distinguntur ab  
omnibus alijs virtutibus. Ita  
obiectum formale temperantiae  
ex.g. non dicitur foelicitas, quia  
uis ea necessariò ametur per  
actum temperantiae: nam eadem  
foelicitas amatur etiam ab in-  
temperante; sed dicitur illa pe-  
culiaris honestas, quae consistit  
in mediocritate voluptatum,  
dolorum: hæc enim est illa  
cuius prosecutio distinguit tem-  
perantem à non temperante.  
Similiter obiectum formale syl-  
logismi mathematici non sunt  
illa principia metaphysica quibus  
innititur omnis vis syllogis-  
tica; eorum enim approbatio  
non distinguit mathematicum  
à non mathematico, sed sunt  
prin.

principia propria scientiæ mathematicæ.

90 Hæc est ratio Conclusionis nostræ, quod scilicet prima veritas Dei in loquendo sit obiectum formale adæquatum fidei; quamuis enim actus fidei tendat etiam in ipsam locutionem Dei creatam, & non tanquam in conditionem, sed tanquam in veritatem affirmatâ, & mouentem ad assentiendum obiecto reuelato; tamen cognitio illius est aliquid commune credenti, & incredulo. Vterque enim experitur similem apparentiam, credens quidem putat eam esse locutionem Dei, & per hoc differt ab incredulo: sed hoc ipsum putat ex motiuo primæ veritatis; credit enim vel explicitè vel implicitè hanc Dei

perfectionem, quæ est: non posse  
permittere talem apparentiam,  
quin loquatur, & verum loqua-  
tur; quæ perfectio est ipsa vera-  
citas Dei; atque aded totum id  
quod credit prout differt ab in-  
credulo resolvitur tanquam in  
motium in veracitatem Dei.

91 Et quamvis diuina ve-  
racitas sit aliquod prædicatū,  
quod probari posset à priori ex  
deitate tanquam ex radice,  
ac proinde videatur non esse  
aliquid immediatè; & ex ter-  
minis credibile, sed tantūm de-  
pēdenter ab alio motiuo; secū-  
tamen res se habet in casu no-  
stro; cum enim locutio illa pro-  
ponatur nobis nomine Entis  
perfectissimi, & supremi, statim  
ex modo suprahumano illius  
locutionis fit nobis credibile:

*datur*

datur aliquod ens ita perfectum,  
quod sit author huius locutionis,  
quæ posita non possit res aliter se  
habere ac dicitur. Et sub ista  
confusione veracitas Dei per  
apparentiam illam supernatu-  
ralem fit immediatè credibilis  
independenter à quocunque  
alio principio.

92 Ex his soluitur obiectio  
quædam, qua multi nostrâ sen-  
tentiâ impugnant; scilicet non  
posse esse obiectum formalem  
fidei id quod negatur à multis  
fidelibus, cuiusmodi est prædi-  
cta propositio: *Deus non potest  
permittere, &c.* quæ porro ne-  
gatur ab omnibus existimanti-  
bus eandem apparētiam posse  
occurrere pro articulo vero, ac  
pro articulo falso. Responde-  
mus enim, obiectum formale

F 4 fidei



fidei, prout creditur ab omnibus fideiibus, non esse quidem illud prædicatum Dei explicitè, sed implicitè, & confusè, quòd nos deinde secūdam nostram sentētiā itā explicamus: omnes enim fideles ideò credunt super omnia, quia credunt Deū esse ita veracem, vt hæc res hęc, & nunc non possit aliter se habere ac dicitur: quid autem sit hæc veracitas Dei, per quam sit credibile super omnia, quòd hoc obiectum non possit aliter se habere, alij aliter explicant, nos explicamus modo prædicto.

93 Sic etiam Philosophi differēpant nūm vis syllogistica innitatur illi principio *Dictum de omni.* & *Dictum nullo* an potius illi: *quæ sunt eadem vniter-*  
*tio*

*tio, &c.* quoniam licet re ipsa sit  
vnicum principium in quo im-  
plicitè, & confusè omnes syllo-  
gizantes conueniunt, non ta-  
men omnes explicitè dum syl-  
logizant assentiuntur illis prin-  
cipijs scholasticis, quæ prædixi,  
& sub illis omninò terminis.  
Atque ob eandem rationem  
fit posse nos fide credere & Dei  
existentiam, & veracitatem,  
quamuis hæc videantur potiùs  
præcognita ad assensum fidei;  
sunt enim præcognita sub ali-  
qua confusione sub qua non  
creduntur vt reuelata; sed illa  
eadem sub alijs terminis màgis  
distinctis reuelantur, & propter  
reuelationem creduntur.

94 Obijciunt alij aduersùs  
nostram sententiam: si motiù  
formale fidei adæquatum esset

F S illud

illud quod dixi, posse naturali lumine cognosci euidenter, ut potè prædicatum Dei absolutū, (sola enim prædicata Dei relativa non possunt cognosci sine reuelatione) atque adeò posse cognosci naturali euidentia veritatem fidei. Sed hoc leue est; supra enim ostēdimus, multa prædicata Dei absoluta supergredi naturalem euidentia intellectus creati.

95 Minus ob est hinc sequi, non solū actum fidei, sed aliū quoque à fide distinctum esse posse obscurum simul, & certissimum: Sicut enim inquirunt possumus certò credere hoc prædicatum Dei quando Deus loquitur; ità etiam nos possumus credere hoc idem prædicatum quando ipse non loqui-

loquitur; atque adeò etiam  
alia Dei prædicata vera quidē,  
sed obscura: non inquam id  
obstat, tūm quia hoc si benè in-  
spiciatur est in omni sententia,  
soluendum; tūm quia consecu-  
tio illa non ritè colligitur.

96 Ratio autem disparita-  
tis est, quoniam dum Deus lo-  
quitur, cūm ex vna parte, locu-  
tio Dei non possit esse viatori-  
bus clara, & ex alia parte Deus  
debeat habere summā autho-  
ritatem in loquendo, debuit  
proinde posse dari aliqua appa-  
rentia, quæ simul esset obscura  
simultalis, vt esset prudēs fun-  
damentum firmissimi assensus.  
At verò extra hunc casum ex-  
pediens fuit intellectui, vt om-  
nis apparentia, quæ ex suo ge-  
nere est infallibilis, esset etiam

euidens. Et ideò antiqui Philosophi nunquam distinxerunt summam certitudinem ab euidencia: quare ipsa Dei veracitas obscura non potest repræsentari per apparētiam ex suo genere infallibilē, nisi quādo est necessarium vt ipsa firmissimè credatur ad hoc, vt sūma fides adhiberi possit Deo loquenti.

97 Colligitur ex prædicta doctrina, cur sit vera communis illa Theologorum sentētia, asserens non posse discredere vnū articulum fidei, & simul credi aliū ab eodē intellectu. Ratio inquam est quoniā vel intellectus assētitur illi veracitati diuinæ, quā explicauimus, vel nō, si ei assentitur, non potest non credere omne id, in quo videt illam sufficientem apparentiā,  
si ei

si ei nō assentitur, nil potest credere ex motiuo formali fidei, atq; adeò per actū fidei; quamuis enim inæqualis apparentia sit in ordine ad varios articulos reuelatos, tamen illa superabundantia apparentiæ, quæ est in aliquibus, prodest quidem ad mouendam volūtatem, vt imperet actum fidei, sed non potest esse id, à quo mouetur formaliter ipse actus fidei: Aliòquin talis actus non constitueret intellectui pro regula credendi in rebus obscuris sufficientem propositionem diuinam, sed tantum superabundantem, atque adeò non captiuaret plenè intellectum in obsequium fidei: sed relinqueret eum indifferenter vt posset implicite existimare Deum mendacem.

Parum

98 Parùm valet id quod aliqui opponunt, nō posse à nobis designari quænam sit illa certa mensura sufficientis apparentiæ, atque adeò illam, vt ignotam, non posse esse motiuũ cōmune omnibus credētibus: facilè siquidem respōdetur primò per instantias. Nam omnes debent id soluere in ordine ad piã affectionem voluntatis, quæ vt infra cōstabit prærequiritur ad actum fidei, & ad hoc vt firmiter captiuet intellectũ Deo loquenti debet tendere in apparentiam vt sufficientem, non vt superabundantem. Secundo respondetur directè, cōcipi quidem illam apparentiã sufficientem ab omnibus, debet enim vnicuique esse notum licèt notitiã non euidenti  
illud

illud prædicatum, in quo consistit locutio essentialiter diuina, vt vniuersi possint eam discernere ab omni alia apparentia. alioquin nescirent quandoam deberent credere super omnia, & quando non; quod est impossibile, vt supra demonstraui. Cum tamen hæc apparentia sufficiens non sit aliquid sensibile, & digito demonstrabile; non potest habere proprium nomen clarum, & cunctis notum, sed explicari debet per hanc proprietatem, quam omnes experimur, quod sit illa *apparentia, quæ nos verè obligat ad credendum firmissimè licet obscure, ita vt cognoscamus nos peccare si formidemus.*

99 Quòd si talis apparentia sit superabundans, sed posita

ta



ta in aliquo physicè indiuisibili  
 ex. g. in aliquo miraculo clarif-  
 simo, adhuc actus fidei non in-  
 nititur toti illi apparētiē quippè  
 quæ est diuisibilis logicè quate-  
 nùs in eo miraculo considerari  
 potest aliquod genus; quod est  
 cōmune alijs apparētijs mino-  
 ribus, sed sufficientibus; sicut e-  
 tiam aliquis ex amore Dei su-  
 per omnia abstinet à parricidio,  
 non propter hanc specificam,  
 displicentiam grauissimam, &  
 indiuisibilē per quā Deus auer-  
 satur parricidiū, quā tanta dis-  
 plicentia est, sed propter illam,  
 quā displicentia Dei est in ge-  
 nere.

100 Deniq; habētur ex di-  
 ctis duæ aliæ sequelæ. Altera est,  
 omnes actus fidei, quā fidei, es-  
 se eiusdem speciei; licet enim dis-  
 cre-

scere.

scirent in alijs prædicatis, pro-  
ut mouentur ab apparētijis spe-  
cie diuersis; tamen totum hoc  
est commune actibus, qui non  
sunt fidei, ac proinde non con-  
uenit illis quā actus fidei sunt.  
Sicut ex.g. esse multum vel ~~per~~  
*extensam*, non conuenit quali-  
tati, vt qualitas est, sed conuenit  
enti corporeo in genere ac pro-  
inde non constituit diuersam  
differentiam qualitatis. Cū er-  
gò illud speciale per quod assen-  
sus redditur actus fidei, sit *cre-  
dere veracitatem Dei*, quam di-  
ximus; & cū illam eodem mo-  
dò credant omnes actus fidei,  
proindè omnes quā fidei sunt,  
conueniunt specificè, licèt ha-  
beant alias specificas differen-  
tias extraneas.

Altera consecutio est,  
fidem

fidē nō esse formaliter discursiuam, hoc est non esse conclusionem pendentem à præmissis realiter ab ipsa distinctis; esse tamen discursiuam virtualiter, hoc est esse assensum vnius veritatis propter aliam veritatē. Hoc secūdum patet; credimus enim Incarnationē, quia Deus est verax, quæ sunt duo obiecta distincta, & magis credimus veracitatem Dei, quam Incarnationem, quia ita sumus dispositi per illum actum vt nō crederemus Incarnationem nisi videremus eam connexam cum veracitate diuina; crederemus verò hanc, licet videremus eam connexam, non quidem cum Incarnatione, sed cum alio quocumque obiecto. Prima etiam pars liquet ex principijs

*De Fide, Spe, &c. Cap. V. 139*  
cipijs nostris: nam præmissæ nō  
possunt esse minùs certæ, quàm  
Conclusio, vt potè, quæ propter  
illas creditur. Ergò si actus fi-  
dei penderet à præmissis distin-  
ctis, quarū vna esset hæc: *Deus*  
*babet talem veracitatem, &c.* se-  
queretur, veracitatem Dei ob-  
scuram, posse credi super om-  
nia per assensum distinctum ab  
actu fidei, qui actus si postea su-  
spenderetur, adhuc ex vi illius  
præmissæ cred. tæ deberetur in-  
tellectui infusio habitus fidei,  
quandoquidem per assensum  
illius præmissæ iam sufficienter  
fuisset mancipatus intellectus  
veracitati diuinæ tāquam pri-  
mæ regulæ credendi, & multa  
sequerentur noua, & absurda.

2191.

CA.

## CAPVT VI.

*De Principijs effectiuis Fidei, ubi  
de habitu, de eius unitate,  
de appositione cum actu in-  
fidelitatis, de potestate volun-  
tatis in opprehensiones, & iu-  
dicia intellectus, & in alias  
potentias, & an ex impe-  
rio voluntatis possit credi id,  
quod apparet minus probabile:  
An pia affectio sit supernatu-  
ralis. An ullus actus super-  
naturalis sit semideliberatus.*

102

**A**D actum fidei cō-  
currit non solus  
intellectus, sed etiam habitus  
quidam infusus supernaturalis,  
quem fidelibus inhærere cōstat  
ex Conc. Trid. *sess. 6.* & ex Con-  
cil.

*De Fide, Spe, &c. Cap. VI. 141*  
cil. Vienn. Clem. unica de summa  
*Trinitate & Fide Cath.* Probabilius est hūc habitum iufundī  
post primum actū fidei, etiam  
ante iustificationem. Obijcitur  
huic conclusioni, in prædicta  
Clementina haberi, omnibus  
baptizatis tam paruulis quàm  
adultis conferri in baptismo  
gratiam, & virtutes, quarum  
nomine intelligit etiam fidem,  
vt constat ex *capitulo maires*  
*de bapt. & eius effectu*, ad quem  
Canonē prædicta Clem. refertur;  
cum tamen certum, sit adultos  
ante baptismum habere actum  
fidei; Verūm id totum com-  
modè explicari potest, ita vt in  
baptismo conferantur quibus-  
cunque ritè baptizatis virtutes  
omnes supernaturales vel secū-  
dum iuitium si nullę aderant,  
vel

vel secundum incrementum si  
aderant. Quod pariter diceudum  
est de habitu charitatis in casu,  
quo quis ante baptismum ha-  
beat amorem Dei super om-  
nia.

103 Cæterum, cum fides  
semel infusa postea sit separabi-  
lis à gratia tanquam instrumen-  
tum recuperandi gratiam amis-  
sam, non est, cur etiam in pri-  
ma infusione non sit ab ea se-  
parabilis tanquam instrumen-  
tum necessarium ad eam ac-  
quirendam. Et ratio à priori  
est quoniam habitus fidei, spei,  
& charitatis sunt inclinationes  
dirigentes hominem ad Deum  
tanquam ad supremum finem  
intellectus in credendo, & vo-  
luntatis in amando tum amo-  
re concupiscentiæ, tum amici-  
tiæ.

tia. Congruens autem est, vt postquam homo elegit sibi aliquem finem, remaneat inclinatus ad illum finem, adeòq; congruum est, vt etiam post actum fidei; & spei producantur habitus correspondentes, quamuis non infusa adhuc charitate.

Propter quam rationem dicimus, per quemcumque actum infidelitatis amitti eiusmodi habitum, vt potè per repudiationem voluntariam prædicti finis.

104 Hanc repugnantiam inter actum infidelitatis, & habitum fidei censemus esse physicam tum ex ijs, quæ diximus de repugnantia inter gratiam habitualem, & peccatum mortale, tum quia habitus supernaturales eo modo debuerunt esse



esse formati, qui modus magis congruat ad eorum institutum à Deo intentum. Cum ergò indignum sit Deo, vt remaneat coniunctus in ratione finis cū aliquo intellectu, qui talē finē culpabiliter repudiauerit, & eū implicite mendacē crediderit, probabile est, habitum fidei habere intrinsecam contrarietatem cum huiusmodi actu.

105 Obijciunt, hanc contrarietatem nō posse esse physicam, quandoquidem idem actus infidelitatis si est culpabilis expellit fidem, si sit inculpabilis eam non expellit: ergò non ex natura sua pugnat cum fide; sed tantum demeritorie mouet Deum ad habitum fidei auferendum. Sed in meis principijs id facile soluitur: tūm quia  
cum

cum existimem, actus volūta-  
tis, & intellectus tendere intrin-  
secè in omnia motiua tūm im-  
pellentia, tūm retrahentia non  
potest esse idem actus infideli-  
tatis culpabilis, qui potuerit  
esse inculpabilis; hic enim  
repudiat motiua insufficientia  
ille sufficientia; tūm etiam quia  
dici potest habitum fidei habe-  
re intrinsecam connexionem  
cum habitu piæ affectionis (de  
quo infra dicemus) qui physicè  
expellitur per volitionē discre-  
dendi exercitam non obstante  
obligatione cognita opposita.  
Disparitas verò inter habitus  
supernaturales, & naturales  
qui non destruuntur per vnicū  
actum contrarium, clarior est,  
quam vt egeat explicatione.

106 Concurrit etiā aliquo

G modo

Et ad potētias cognoscitiuas, hæ quidem non subduntur voluntati quantum ad actus claros iudicatiuos vel quasi iudicatiuos cuiusmodi sunt sensationes vel iudicia euidētia intellectus. Item non subduntur immediatè quātum ad apprehensiones simplices: Apprehensiones namquē omnes quæ fiunt in hoc instanti præcedūt natura quodlibet iudicium factum in hoc instanti, vt potè quod debet illas omnes consulere; Ne forte in posteriori signo oriretur apprehensio mouens ad iudicium oppositum. Cum ergò aliquod iudicium debeat præcedere omnem actū voluntatis vt potè tendentem in id, quod iudicatur bonum vel fugientem ab eo quod iudicatur,

catur,

catur malum; consequens est nullam apprehensionem simplicem pendere à volitione facta pro eodem instanti.

109 Potest quidem pendere apprehensio præsens à voluntate præterita imperante licet enim nil imperari possit nisi iã apprehensum, nihilominus potest imperari apprehensio explicita sed apprehensa confuse. ex.g. possum mihi imperare explicitam apprehensionem exordij Virgiliani; per hoc verò imperium producitur impulsus in illis phantasmatis, quæ representant hoc prædicatum: *exordium Virgilianum*: Et quoniam illa eadem phantasmata repræsentant hoc aliud prædicatum: *arma virumq. cano*; ideò ex vi illius imperij præcedentis

producitur in me postea cogni-  
tio explicata huius hemistichij.

110 Et quidem omnes ar-  
tes inuentrices in eo præcipuè  
consistunt, vt artifex imperet si-  
bi appræhensiones obiectorum  
habentium duo vel tria prædi-  
cata complexa, qualia ad finè  
artificis requiruntur. Quarè ad  
perfectionem harum artium  
tria præcipuè conducunt. Pri-  
mum est quod intellectus arti-  
ficis abstraxerit plures, & plu-  
res gradus, præsertim subalter-  
nos magis, & minus vniuersa-  
les, distinctos; ad hoc vt habeat  
species nominatim repræsenta-  
tiuas huius vel illius gradus,  
quas possit excitare. Alterum  
est, vt sæpè de his cogitauerit, a-  
deoque plures, & plures species  
eorundem graduum repræsen-  
tati-

*De Fide Spe, &c. Cap. VI.* 151  
tatiuas cougesserit; quò, si ad  
imperium aliqua torpet, aliæ  
accurrant. Tertium est, vt spe-  
cies ipsæ sint agiles, viæ sint per-  
uiæ, & organum imaginatio-  
nis argutum, vt illæ celerius  
adueniant, & acriorem sui co-  
gnitionem efficiant.

III Sed in his omnibus  
voluntas non determinat po-  
tentiam cognoscitiuam nisi per  
impulsum localem vt supra  
explicatum est. Quomodo au-  
tem substantiæ separatae exci-  
tent suas species, ignotum est  
nobis: an scilicet per qualitatē  
impressam, an alio modo. Re-  
manet ergò tantum inquirere,  
qualem potestatem habeat vo-  
luntas in iudicia intellectus ob-  
scura. Probabile est huiusmo-  
di iudicia non solum impediri

posse à voluntate, sed elici non posse, nisi ea positivè velit, vt sensit S. Thomas 2.2. q. 1. ar. 2. & q. 2. art. 9. Cum enim actus obscurus ex suo genere, & naturaliter loquēdo sit obnoxius errori, atque adeo possit esse malus potentiaē intellectivaē, congruens videtur vt eius exercitium pendeat semper ab arbitrio potentiaē superioris, neque intellectus eum acceptet nisi voluntate imperante.

112 Negamus tamē, posse voluntatē imperare immediatē assēsū illius partis, quę nō appareat hīc, & nūc probabilior, quā opposita. Id videtur docuisse D. Th. 1.2. q. 9. ar. 1. ad 3. vbi ait volūtatem mouere intellectum quoad exercitiū, intellectū verò volūtatem quantū ad deter.  
mi-

minationem actus: Quoniam voluntas potest facere vt intellectus operetur, vel non operetur; sed non vt operetur potius hunc actum, quam illum; At diuersa cognitio intellectus mouet voluntatē ad actus specie diuersos, & oppositos. Probat̄ur idem ratione tūm à priori, quia cum intellectus sit essentialiter ordinatus ad verum, non videtur bonum ipsius posse moueri à voluntate ad id in quo minùs apparet ratio veri, quàm in opposito contra suam naturalem inclinationem; tūm à posteriori, quia nemo vnquā experitur in se hunc actū. *Ego credo hoc. sed video contrariū esse probabilius, vel equè probabile.*

113 Et confirmatur: ideò enim nemo potest sine vlla pe-



culiari ratione imperare sibi assensum de paritate syderū ex.g. quia cū singulis numeris paribus possibilibus respondeant singuli numeri impares, non habet vllū fundamētū existimādi plerasque, collectiones creatas vniuersim, aut conuenientes cū collectione syderū in aliquo prædicato esse collectiones numeri paris. Ex quo oriretur aliquod fundamentum talis existimationis. Sed hoc fundamētū similiter deficit quoties deficit excessus probabilitatis pro altera parte. Ergo tūc imperari nequit talis assensus.

114. Et porro exemplum est aptissimum; quamuis enim aliqui distinguant inter rem plane dubiam, & rem vtrimq; probabilem, asserentes in hac,

NON

non in illa dari optionem eligendi vtramlibet partem; re ipsa tamen hæc distinctio valet in ordine ad operandum, non ad opinandum. Quippè vni, & eidem intellectui non potest in eodem instanti videri probabilis vtraque pars contradictionis. *probabile* enim ab Aristotele definitur, *quod plerumque contingit*. Non potest autem dari aut credi mutuis excessibus inter duo in frequentia cōtingēdi, quare si omnibus pensatis altera pars mihi apparet probabilis, altera tūc respectu mei intellectus nō potest esse probabilis: & si rationes apparent hinc inde æquales, vtraque se habet per inde ac res omnino dubia. Dubium enim erit, posito toto complexo rationū

hinc, inde, an contingat vna pars cōtradictionis, an alia, nō minus, ac dubium est an sydera paria sint, an disparia.

115 Dixi tamen posse dari aliquid vtriusque probabile, & distinctum à mero dubio in ordine ad operandum. Nam, *merum dubiū* tunc dicitur quando nullę apparent rationes, quę mouere possent vllum intellectum potiùs ad vnum assensū, quàm ad alium. At vero vtriusque probabile tunc dari dicitur quando apparēt mihi eiusmodi rationes pro vtraque parte, ex quibus ego conijcio quod aliqui intellectus sapientū putabunt vnam partem probabiliorem, alij aliam; quę dicitur *mutua probabilitas intrinseca*: vel quando re ipsa experior hęc

sa-

*De Fide, Spe, &c. Cap. VI. 157.*  
sapientium discrepantiā, quam  
ex vi rationū mihi apparentiū  
non credidissem, quæ dicitur  
*mutua probabilitas extrinseca.*

116 In his ergò casibus cō-  
gruum rationi est, vt si ego vi-  
deo, plures sapientes posse lici-  
tè facere aliquam actionem; &  
ego ex mea peculiari opinione  
non sim deterioris conditionis,  
sed fruor libertate cæterorū: le-  
ges enim debent obligare æquè  
omnes præterquā in casu ma-  
nifesti erroris. Poterit ergò ali-  
quis putare quòd sublata igno-  
rantia humana non esset licitū  
ex. g. comedere sex vncias in iē-  
taculo ieiunij, & tamē quia hoc  
putat cum formidine, & multi  
sapientes cōsideratis omnibus  
rationibus quibus ipse moue-  
tur, discrepant ab illo, & licitè  
fa-

faciunt oppositum, potest iudicare quod sibi etiam id licet facere. Quæ ratio non militat quando res est mere dubia, ut patet; sed totum hoc discriminē inter *dubium*, & inter *utrinque probabile* est in ordine ad existimandum quòd liceat agere; nō in ordine ad potestatem eligēdi speculatiuè vtramlibet partē, ut constat ex dictis.

117 Neque ex his efficitur neminem discredere culpabiliter ut potè qui tunc solum discredat quando probabilius apparet obiectum articulo fidei contrarium, atque a deo quando is nō potest credere: facilis enim responsio est, posse tūc ipsum & teneri suspendere assensum, & imperare sibi diligentius examē motiuorum, quod si  
faciat

faciat occurrēt motiua sufficiē-  
tia ad credendū. Rursus quan-  
do actu credit, liberè, & lauda-  
biliter credit ex duplici capite:  
primò, quia cum obiectum nō  
sit euidens, liberum fuisset sus-  
pendere assensum, Secundò,  
quia potuisset etiam tunc non  
quidem discredere neque cre-  
dere cum dubitatione formali,  
sed cum formidine radicali,  
quæ pariter dubitatio excludi-  
tur per fidem diuinam.

118 Pro cuius rei explica-  
tione aduertendum est, licet sit  
verū id quod supra ostēdimus,  
quicumque credit aliquid su-  
per omnia, credere inseparabili-  
tatem motiui ab obiecto credi-  
to, non tamen quicumque cre-  
dit hanc inseparabilitatem, cre-  
dere illam super omnia. Hæc  
enim

enim ipsa inseparabilitas potest  
 credi vel firmiter, vel minùs fir-  
 miter: firmissimè quidem credi-  
 tur quando assensus est huius-  
 modi vt determinet intellectū  
 ad non formidādum de hac ip-  
 sa inseparabilitate si conside-  
 retur reflexè, & explicitè tan-  
 quam obiectum peculiare; ne-  
 que de inseparabilitate insepa-  
 rabilitatis, & sic in infinitum;  
 sed remanendū adeò quietus,  
 & imperturbabilis sicuti si ha-  
 beret actum scientificū, & eui-  
 dentem.

119 Credere igitur aliquid  
 super omnia, est ita credere in  
 separabilitatem rei creditæ ab  
 obiecto motiuo, vt per eum ac-  
 tum intellectus determinetur  
 ad quietem, & ad satietatem  
 circa illud obiectum, sine impe-

est  
ir-  
di.  
is-  
tū  
p-  
le-  
n-  
re-  
pa-  
L;  
is,  
ia-  
ui-  
id  
in  
ab  
a-  
tur  
n-  
pe,  
tu appetitus innati ad ulterio-  
rem indaginem, adeoque de-  
terminetur ad credendam ean-  
dem inseparabilitatem facta  
quacumque reflexione & nun-  
quam possit dicere: *fortasse ita  
non est*; quocirca *credere super  
omnia* explicatur quidem tan-  
quam radix in ordine ad as-  
sensum diuersi obiecti ab eo,  
cui assentimur quando non  
credimus super omnia, sed re  
ipsa non constituitur formaliter  
per talem assensum, sed per pe-  
culiarem modum tendendi, ad  
quem modū consequitur de-  
inde determinatio in ordine  
ad prædictos assensus.

120 Hic modus tendendi  
firmissimus, circa obiecta  
evidentia, est necessarius intel-  
lectui; circa obiecta vero, in  
quibus



quibus patet separabilitas motiui (aut secundū indiuiduū, aut secundū speciem considerati) à re credita, est impossibilis etiā per imperium voluntatis. Quis enim possit credere super omnia *Franciscum esse in foro, quoniam id dixit Petrus plerumque verax, sed quandoque mendax?* Item quis possit credere super omnia *materiam carere propria existētia propter rationes, quibus alia æquales inuēta sunt aliquādo fallaces?* At quando obiectū est tale, vt ex terminis sit credibile quod eius motiuum neque secundum indiuiduum, neque secundum speciem sit separabile à veritate obiecti, sed hoc ipsum non apparet euidenter, tunc remanet liberum voluntati vel credere id super omnia  
vel

vel

*De Fide, Spe, &c. Cap. VI. 163*  
vel credere assensu infirmo, &  
compossibili ex suo modo ten-  
dendi cum actuali formidine  
oppositi: quæ compossibilitas  
in eo sita est; vt intellectus in  
instanti sequenti non reuocan-  
do assensum præteritum, sed  
eum confirmando possit simul  
de opposito formidare, & dice-  
*re fortasse non ita est.*

121 Non solum, ergò vo-  
luntas habet imperium in in-  
tellectum in ordine ad suspen-  
sionem, vel exercitium actus,  
sed in ordine ad actum firmio-  
rem, vel infirmiore respectu  
illius obiecti quodhïc & nunc  
apparet probabilius. Nam hoc  
totum dominium est bonum,  
ipsi intellectui, & non exponit  
illum per se errori. Ideò S.Th.  
2.2. q.2. art.9. ad 2. ait opinio-  
nem

nem esse assensum debilem, & ideo non procedere ex perfecta voluntate & habere parū meriti. Sed quoniam nullum <sup>aliud</sup> obiectum obscurū est tale, vt præscindēdo ab errore aliquo præcedenti appareat inseparabile, à suo motiuo; ideò de solo obiecto fidei potest hoc intellectus credere per imperium voluntatis nisi præcesserit in eo aliquis error. Et quoniam nullus error est evidens ac necessarius, alioquin natura nos decipisset, neq. haberemus vllum discerniculum veritatis, & falsitatis, ideo si fecerimus omnē diligentiam præcedentem atq; adeo non inciderimus liberè in errorem, nunquam erimus in tali statu, vt vel debeamus, vel possimus credere aliquid super omnia

omnia nisi verum articulum fidei.

122 Potest tamen ex errore voluntario, aliquando culpabili, aliquando etiam inculpabili cōtingere vt aliquid appareat nobis credibile super omnia quamuis reuera nō sit, atq; adeo quòd possimus super omnia credere aliquid distinctum ab articulis fidei; Qui modus credendi circa talia obiecta sēper continet errorem vel formalem, vel radicalem: disponit enim ad credendum quod non possit aliter se habere id, quod re ipsa potest aliter se habere. Nam vt supra ostendimus nulla apparentia, qua posita obiectum non possit aliter se habere, est obscura, nisi locutio Dei ob peculiarem rationē.

Actus

123 Actus imperans fidē  
debet esse bonus & superna-  
turalis; alioquin non omnis a-  
ctus fidei esset meritorius. Item  
debet esse plenē deliberatus præ-  
sertim in ordine ad primam ac-  
quisitionem fidei. Nam vt nos  
indicauius & vt docet S. Th.  
22. q. 2. art. 2. in corp. & ad 2.  
*credere in Deum est intellectum  
adherere primæ veritati tanquā  
fini.* Ex quo colligit S. Thom.  
id pertinere ad motionem vo-  
luntatis quoniā voluntatis est  
intendere finem. At intende-  
re, & præscribere sibi finem nō  
est nisi voluntatis deliberatæ,  
& sufficientis ad contrahendā  
obligationem.

124 Neque etiam sufficit  
voluntas semideliberata ad a-  
ctum fidei, qui disponat ad iu-  
stifica.

stificationem. Nam hæc dispositio se haberet per modum meriti congrui. Omne autem meritum, quippè includēs vel charitatem, vel spem vel fidem, videtur esse aliquod obsequium per modum donationis, per quam consecramus Deo tanquam supremo fini aliquam nostram potentiam. At voluntas semideliberata nō facit donationem validam, nec reddit in existimatione prudentum illam potentiam permanentem conuersam in Deum.

125 Imò nullum actum supernaturalem putamus posse esse semideliberatum. Probatur id primò à posteriori, quoniam talis actus neque mereretur solum præmium naturale, neque præmium aliquod supernaturale;

rale; & tamen esset liber, ac bonus; ac proinde meritorius. Nō mereretur quidem solum præmium naturale, quia nullum est præmium naturale quod nō possit deberi alicui merito naturalis; sed omnis actus supernaturalis est sine proportione melior, & dignior quolibet merito naturalis; ergō meretur aliquod maius omni præmio naturali. Probatur etiam secunda pars. Non enim potest aliquis actus bonus plus mereri quàm demeretur actus malus oppositus. Eadem quippè dignitas Dei & vilitas creaturæ, quæ auget demeritū actus mali, minuit meritum actus boni: ex qua ratione probant Theologi nullum actum bonum posse condignè mereri remissionē peccati mortalis.

talis.

talis. Sed nullus actus malus semideliberatus meretur iacturam alicuius doni supernaturalis alioquin debiti (hanc enim meretur tantum peccatum mortale, quod non est nisi plene deliberatum: ) ergo nullus actus indeliberatus bonus meretur aliquid supernaturale indebitum.

126 Potest quidem per accidens peccatum veniale mereri iacturam visionis beatificae non simpliciter, sed pro aliqua mora, donec peccans luat penam in Purgatorio. Sed actus bonus supernaturalis semideliberatus meretur praemium supernaturale per se & perpetuum; omnia enim dona Dei supernaturalia sunt essentialiter vel perpetua, vel ad aliud bonum supernaturale perpetuum ordinata.

H

N e



127 Neque dicas, posse irrogari in p̄nam peccati venialis subtractionem alicuius supernaturalis auxiliij, quod Deus alioquin dedisset. Nam p̄na propriè nō est nisi priuatio boni alioquin debiti; atque adeò semper depauperat punitum aliquo gradu f̄licitatis quem ille vel actu, vel iure possidebat. In ordine verò ad bona indebita quodcunque leue crimen potest esse motiuū retardans à quacunq. ingenti donatione imo cōgruētius retardās à donatione magna, quàm à parua; & sic peccatum veniale maiorem habet congruentiam ad retardandum Deum ne cōcedat alicui ingentem gratiam quam ne tribuat illi tenuissimum bonum. Cum tamen è

con-

ir-  
ia-  
fu-  
eus  
ena  
bo-  
leò  
m-  
em  
de-  
na-  
cri-  
tar-  
na-  
dās  
mā  
iale  
iam  
cō-  
iam  
issi-  
n ē  
t-

contrario si vtrumq. ex his bonis possideretur re vel iure; facilius quis per peccatum mereretur iacturam boni minoris, quam maioris. Itā S. Th. q. 5. de pæna peccati originalis articulo primo ad tertium dicit *esse mitissimā omnium pænarum solam carentiam visionis diuinae essentiae, in quantum visio diuinae essentiae, est quoddam bonum omnino supernaturale.*

128 Ratio autem nostræ conclusionis à priori est, quoniam semideliberatio actus nō consistit in defectu libertatis moralis; nam & damnati deliberatè peccant sine libertate morali ad non peccandum, & beati deliberatè faciunt omnes actus bonos, ad quorū aliquos habent necessitatem physicam.

ad alios moralem. Semideliberatio igitur in eo sita est, ut operans habeat cognitionem honestatis, & inhonestatis ad eo cōfusam & obscuram sicut est cognitio semidormientis cum qua cognitione, non potest facere actum stabilem, neque in ordine ad bonum, neque in ordine ad malum; & ideo non potest facere actum per quem reddatur simpliciter, vel bonus, vel malus. Malus autē quis redditur per omne peccatum mortale, bonus autem per omnem actū supernaturalem liberum ut potè qui ex natura sua est actus bonus filij Dei, cui debetur incrementum amicitiae diuinæ; ac propterea reddit operātem meliorem, & magis aptum ad suum finem.

Possunt

129 Possunt ergò quidem dari actus supernaturales omnino indeliberati, vt pote qui non profunt in genere meriti, sed in genere dispositionis & inclinationis quam Deus nobis infundit in ordine ad actus liberos meritorios. At nullum actum liberum supernaturalem congruens fuit exerceri posse sine plena deliberatione. Imo verò cēsemus nullum esse actū liberum qui non sit plenè deliberatus in ordine ad aliquod prædicatum obiecti. Omnis enim cognitio quæ repræsentat vnum confusè, repræsentat aliquid aliud clarè. Potest ergò actus peccaminosus esse semideliberatus eo quod repræsētur tantum *inhonestas vt sic* & non *inhonestas grauis*, cui de-

beatatur inimicitia Dei. Sed actus bonus supernaturalis non potest esse semideliberatus: vel enim repræsentatur illa honestas, quæ est obiectum formale huius, vel illius virtutis supernaturalis, & ille actus erit plenè deliberatus si accedat cognitio bonitatis oppositæ; si verò hæc non accedat erit planè indeliberatus, & tãquam motus primò primus (deliberare enim est quasi librare rationes pro vtraque parte) vel non repræsentatur illa honestas; & ex defectu obiecti formalis deficiet supernaturalitas in actu.

130 Volitio honesta imperans verum actum fidei est supernaturalis ex obiecto formali. Imperat enim illum ex hoc motiuo, nimirum, quia datur  
iudi-

*De Fide, Spe, &c. Cap. VI. 175*  
iudicium euidens de honestate  
assensus obscuri super omnia.  
Hoc verò iudicium in nullo ca-  
su potest dari naturaliter vt su-  
pra ostendimus. Ideò ad eli-  
ciendam hanc volitionem in-  
funditur peculiaris habitus, qui  
vocatur *piæ affectionis*, & habet  
pro obiecto constituere sibi ve-  
racitatem diuinā pro mensura  
in assensibus liberis. Quoniam  
verò vt prædiximus, quælibet  
volitio honesta prærequirit iu-  
dicium euidens de honestate  
sui obiecti; ideò ante hūc actū  
*piæ affectionis* requiritur præ-  
dictum iudicium euidens cre-  
dibilitatis supernaturale adeò-  
que pendens à peculiari habitu  
supernaturali.

131 Non tamen hoc iudi-  
cium semper repræsentat obli-

H 4 ga-

gationem credēdi quoad exercitium. Sæpè enim elicimus actus fidei dum possemus licitè suspendere assensum, vel etiam credere nō super omnia dūmodo sine actuali formidine; sicut plerumq. contingit dum legimus historias diuinæ scripturæ:

Semper tamen repræsen-


tat honestatem ipsius

assensus super

omnia

erga tale obie-

ctum.



CAPVT VII.

*De Euidētia credibilitatis, quam  
habet nostra fides, super omnes  
alias sectas: de certitudine  
quod scriptura cui credimus,  
sit autentica, & concilia, &  
Pontifices, quorum dēfinitioni-  
bus ducimur, fuerint, legiti-  
mi.*

132 **P**Orro hæc euidētia  
credibilitatis ex mul-  
tis capitibus maxima, & clarif-  
sima est in fide Catholica, quæ  
capita hic tātum indicabimus.  
Primò enim certum est ex syn-  
dresi, quam omnes experiun-  
tur, & ex consensu ferè om-  
nium gentium, atque ex alijs  
rationibus indicatis in libro de

H S acti-



actibus humanis, dari aliquod numen optimum, & beneuolū erga creaturas rationales, cui aliqua nostra opera placeant, alia displiceant, ideoque numē illud esse colendum, & amandum, neq; huic rationi aduersatur experientia frequēs & calamitatis in probis & prosperitatis in improbis, quasi contraria prouidentia: Nam hæc ipsa summa prouidentia est, vt possimus exercere virtutem, & promereri aliam solidiorem felicitatem. Quænam enim virtus esset, ea sectari, quæ etiã in hac vita semper vel ferè semper afferrent delectationem & prosperitatem? Porrò si id eueniret, nullum esset discerniculū inter virtutis, ac voluptatis amatores.

Cer-

133 Certum ergo est dari aliquod numen prouidum, & colendum. Cum verò sint varij cultus, & religiones erga huiusmodi numen quarum religionum vna damnat alias tanquam impias, & huic numini inuisas, nō potest inter eiusmodi sectas inuicem pugnantes esse plusquam vna, quæ sit vera & huic numini accepta; Quamuis possit euenire, vt aliqua propter ignorantiam inuincibilem, eo inoffenso alias religiones sectentur.

134 Hoc posito videtur indignum hoc numine si permittat, aliquam religionem falsam habere pro se argumenta sine vlla comparatione maiora, & grauiora, quam quælibet alia, ac proinde quam ea, quæ sit

H 6 vera.

Quis enim prudens, & bonus hoc faceret; at nostra religio habet pro se plurima, & gravissima argumēta quibus præstat cæteris omnibus religionibus, ergò ipsa tantum est vera religio.

135 Ultima minor, quæ sola negatur ab aduersarijs probatur ex huiusmodi argumentorum enumeratione: primò enim nulla religio habuit, vel habet tot Sectatores sapiētes quā nostra; sapiētes autē voco illos, qui præscindēdo à re cōtrouersa, hoc est à veritate religionis procul dubio ingenio, eruditione, doctrina cæteris præstant omniū consensu. Sectæ enim distincte à Christiana vix vllū nominabunt sapientem cum nostris Patribus Theologis, ac Philo-

Philosophis comparabilem, qui eas re ipsa, & ex animo secutus sit quārum ex eius vita, & scriptis constare potest. Platonem quippè, Aristotelem, Tullium, Senecam aliosque veteres Philosophos patet ex eorum libris fuisse à credendis Gentilium commentis alienissimos.

136 Secundò nulla religio habuit tot sectatores insigni, & fere supra humana virtute præditos. Tertiò nulla fuit pro cuius defensione non solū fortiter, sed alacriter tot millia millium in quolibet sexu, ætate, fortuna sanguinem, ac vitam profuderint. Quartò nulla, quæ habuerit tot contemptores omnium bonorum sēnsibilium, & humanorum ex sola spe illorum, quæ talis religio pollicetur. Quinta-

to nulla, quæ habuerit tot feruentissimos Dei amatores, qui omnes suas cogitationes, affectiones, curas illi per totam vitam dicauerint supra omnem amorem, quo vnquam vel mater filium vel maritus vxorem, vel quilibet homo quodcunq; obiectum sibi carissimum dilexerit.

137 Sextò, nulla religio est in cuius explicatione tot sapientes, vitam, ac studia impèderint cum tanto admirabiliũ, contemplationum fructu: nulla si quidem scientia humana euidentissima tãtumdem ingenij, consonantiæ, admirabilitatis ostentare potest quantum Christiana Theologia. Septimò nulla est cuius veritatem testentur tot prodigia supra

om.

omnes naturales vires effecta,  
& innumeris, ac grauissimis hi-  
storiarum, ac testium authori-  
tatibus cōfirmata: quæ omnia  
testimonia falsa esse perinde  
videtur incredibile, ac si quis  
contenderet non extitisse Iuliū  
Cæsarem, & omnes traditiones  
de illius existentia mentiri.

138 Octauo nulla est, cuius  
præcepta melius congruant cū  
lumine rationis diuinitus nobis  
impresso, vt patet si confera-  
mus præcepta Euangelij cum  
Ethica Aristotelis, & cum alio-  
rum Philosophorum præceptis,  
quæ ad mores pertinent. No-  
nonnullus propagatio fuit adeō  
mirabilis, & cum euidentiōri  
numinis patrociniō: quando-  
quidem sine armorum violen-  
tia sine sensuum blandimento  
pauci

pauci homines ignobiles, infirmi prædicantes contemptum omnium eorum, ad quæ humanus appetitus rapitur; quos homines sequi crimen erat infami morte plectendum, breui tempore urbem mundi dominam expugnarunt, & meliorem mundi partem. Hæc autem omnia præsertim simul iuncta, compertum reddunt vnum ex his tribus; vel nullam superis esse curam de rebus nostris, vel superis placere vt in eorum cultu decipiamur; vel hæc religionem, quam colimus, esse verã. Quorum prima duo cū sint impia, & lumini rationis aduersa, reliquum est vt tertium sit euidenter credibile.

139 Obijci solet, infallibilitatem fidei dependere ex dupli-  
pici

plici fundamento & utroque  
fallibili, atque adeò non posse  
dari in ea euidentiâ credibilitatis  
super omnia. Hæc duo funda-  
menta sunt authoritas scriptu-  
ræ, & Romani Pontificis, aut  
Concilij à Pontifice confirma-  
ti. At in quolibet codice scrip-  
turæ solent esse multi errores  
ex iniuria typographorum, aut  
librariorum; quo fit ut in singu-  
lis, quæ ibi legimus habeamus  
prudentem rationem formidã-  
di. Item, cum aliqua sint quæ  
vel de iure diuino, vel de iure  
positiuo redderent irritam ele-  
ctionem Romani Pontificis, sē-  
per formidari potest nùm hic  
homo sit vel fuerit legitimus  
Pontifex. sed vtraque obie-  
ctio dissoluitur, nam quantum  
spectat ad primam, non reddi-  
tur



tur aliquid credibile super omnia eo quod tantum legatur in vno codice scripturæ, sed eo quod ita legatur in multis, & passim ab authoribus Catholicis ita referatur: adeò vt quis posset conqueri de Deo tanquã de deceptore nisi per suam providentiam impediuisset ne aliquid falsum proponeretur cū tāta apparentia, & morali certitudine, vt humano discursu non posset discerni eius locutio ab eius nō locutione. In ijs verò super quibus non præcesserit hæc apparentia, & moralis certitudo, non potest quis legendo vnum codicē scripturę exercere verum actum fidei, nisi suppleat Deus defectum externæ apparentiæ per lumen internum.

Quan-

140 Quātūm verò spectat  
ad secundum dicimus esse fide  
certū, illum hominem, quem  
& multitudo Catholicorum paci-  
ficè, & concorditer semel vene-  
ratur aut venerata est tāquam  
verum Pontificem, esse verum  
Pontificem. Alioquin omnia  
nutarent & non haberemus re-  
gulam infallibilē fidei. Spectat  
ergo ad fidelitatem Dei vt non  
permittat aliquem eligi, & ac-  
ceptari à tota Ecclesia Catho-  
lica si habeat aliquod impedi-  
mentum inualidans occultum,  
cuiusmodi esset defectus baptis-  
mi: sicut spectat ad prouiden-  
tiam Dei, ne irrepāt in omnes  
codices scripturæ aliquod fal-  
sum, & ne aliquis magus per  
doemonū præstigias exhibeat  
tantam apparentiam pro ali-  
quo

quo errore, quantam habet ex  
veris miraculis fides Catholi-  
ca.

141 Impedimenta verò in-  
ducta de iure positivo, & red-  
dentia irritam electionem Pō-  
tificis sunt profecta ex talibus  
legibus, quæ nūquam loquun-  
tur nec intelliguntur nec possunt  
habere locum nisi respectu il-  
lius primæ electionis, quam  
faciunt Cardinales, perquam  
adhuc non redditur fide certū  
quod electus sit verus Pontifex.  
At verò licet illa electio ex ali-  
quo tali occulto impedimento  
fuiſſet irrita, adhuc ſequeretur  
alia electio nullo iure positivo  
irritabilis, quam facit tota Ec-  
clesia acceptando illum homi-  
nem pro verò Pontifice. Hæc  
enim acceptatio licet mouea-  
tur

tur

ex  
oli.  
in-  
ed-  
Pō-  
bus  
un-  
sūt  
il-  
m-  
m-  
ertū  
sex.  
ali-  
nto  
etur  
iuo  
Ec-  
mi-  
lac  
ca-  
r

tur ex errore præcedenti, nō est  
tamen conditionata, sed abso-  
luta. Meliùs quippè est Eccle-  
siæ habere pro Pontifice al-  
quē qui fuerit inualidè electus,  
quàm ignoranter carere verò  
Pontifice, & eum pro tali vene-  
rari qui re ipsa non sit.

142 Si enim expedit, do-  
miniarerum non esse in incer-  
to, & ideo inductæ sunt præ-  
scriptiones non solum de iure  
ciuili, sed aliquæ etiam longis-  
simi temporis de iure gentium,  
& naturali, per quas dependen-  
ter ab errore fit dominus rerū  
ille, qui antea non erat domi-  
nus; multo mægis expedit non  
esse in incerto auctoritatem di-  
uini Vicarij, atque adeò de iu-  
re diuino, & naturali est vt qui-  
cumque bona fide accepta-  
tur

tur ab Ecclesia pro tali, euadat talis etiamsi antea non fuisset.

143 Et huc spectat ratio, quæ affertur in *lege Barbarius ff. de officio Prætoris*, in qua declaratur, quod seruus electus ignoranter in Prætores, & pro tali habitus, non solum fecerit acta valida, sed fuerit verus Prætor, quoniam Populus Romanus, qui eum pro tali habuit, potuit dispensare, & censetur voluisse. Porro prædicta lex non est consideranda tanquam constitutio arbitraria, & proueniens à potestate iuris ciuilibus, alioquin respexisset futura non præterita super quibus lex illa decernit, sed tanquam interpretatio prudens, & philosophica iuris naturalis: nam independenter ab

omni

lat  
uis  
o,  
ff.  
la-  
no-  
tali  
sta  
or,  
us,  
uit  
isse  
cō-  
tu-  
s à  
uin  
rita  
nit,  
ru-  
na-  
ab

omni constitutione positiva,  
cēsetur Populus Romanus ha-  
buisse in dicto casu illam volū-  
tatem, quam expediebat eum  
habere. Itā ergò in casu no-  
stro penes totam Ecclesiam est  
potestas prouidendi sibi de le-  
gitimo Capite ne remaneat a-  
cephala, quoties electores ordi-  
narij vel culpabiliter, vel incul-  
pabiliter neque prouident, neq.  
habent curam prouidendi in  
futurum; sicut contingit quan-  
do eorum electio fuit irrita, &  
habetur pro rata. In hoc ergò  
casu Ecclesia censetur eum eli-  
gere, quem acceptat, non ob-  
stantibus quibuscunq. eius de-  
fectibus, quoniam ita expe-  
dit.

144 Et quamuis Ecclesia  
acephala non possit dispensare  
con-

contra constitutiones præteriti Pontificis; tamen, vt diximus, nulla constitutio inductiua, impeditenti extenditur velex mente, vel ex potestate constituentis in ordine ad talem casum; quoniam de essentia legis validæ est, vt sit in bonum cõmunitatis. Ex qua doctrina infertur, illos primos actus, per quos fideles agnoscunt nouum electum in Pontificem, non esse quãtum ad hoc actus fidei diuinæ, sed fidei, & prudentiæ humanæ, ac fallibilis; sed ex cõcordia illorum postea resultare in singulis obligationem fidei diuinæ ad credendum illum esse verum Pontificem. Si enim prærequireretur quoad hoc fides aliorum ad fidem meam, eodem modo prærequireretur  
fides

fides mea ad fidem aliorum, ac proinde committeretur circulus in primo fundamento credibilitatis.

145 Propter eādem rationem de fide est, Concilium ab Ecclesia cōcorditer acceptatū, fuisse verum Concilium; neque dicas sufficere ad infallibilitatē fidei si dicamus esse infallibilem in definiendo non solum Pontificem, & Concilium verum, sed existimatū. Quamuis enim ad tuendam vtcumque regulam visibilem, & infallibilem Catholicæ veritatis hoc tenerentur dicere illi authores, qui negarunt esse de fide hunc hominem esse verum Pōtificem; ex hoc tamen ipso eorum sententia est improbabilis. Nam Christus promisit tantum non



defecturam fidem Petri veri,  
non autem existimatis & Petro  
vero dedit potestatem pascēdi  
oues, & super Petro vero ædifi-  
cavit Ecclesiā suam, eique tan-  
tūm dedit clauēs scientiæ,  
& potentiæ. Quare  
nemo nisi verus  
successor  
Petri habet hæc iura  
ex promissione  
Christi.



CAPVT VIII.

*Ad quæ obiecta extendatur actus  
fidei diuinæ: ubi an ad sequelas  
moraliter, physicè vel meta-  
physicè certas; an ad reuelatio-  
nes priuatas.*

146 **S**I vna præmissa sit de  
fide, & alia certa  
physicè, vel moraliter, id non  
sufficit vniuersaliter vt conclu-  
sio possit credi per fidem. Pro-  
batur: nam aliòqui posset fide  
credi negatio omnium miracu-  
lorum, quæ non sunt approba-  
ta ab Ecclesia. Ex. g. est fide  
certum quòd Deus est author  
omnis effectus, sed est physicè  
certum quod ignis, qui est in  
India, nunc calefacit, ergò si

I 2 ex

ex vna præmissa de fide, & ex alia certa physicè posset inferri consequentia de fide, utique esset de fide: *Deus nunc concurrat cum igne Indico ad productionem caloris*; Imò esset de fide propter eandem rationem, quod *Deus cras concurret ad motum solis*. Et ratio à priori est, quoniam ea tantum sunt de fide, quæ si non essent vera, *Deus esset mendax*. Id verò non contingit in conclusione elicitata dependenter ab vna præmissa physicè tantum certa. Nam si illa præmissa esset falsa, atque adeo falsa etiam conclusio, nil propterea conqueri possemus de Deo tanquam mendace, & deceptore.

147 Idem censeo etiam si altera præmissa sit fidei, altera præ-

præ-

ex  
erri  
e  
rrit  
onē  
op.  
od  
otū  
uo-  
le,  
eus  
n  
ci-  
nif-  
am  
ue  
nil  
us  
s,  
nsi  
era

præmissa sit metaphysicè e-  
uidens: quamuis enim ex his  
sequatur conclusio certissima,  
tamen hæc certitudo non  
innititur soli veracitati diui-  
næ, sed etiam illi obiecto me-  
taphysicè euidenti, quod Deus  
non reuelauit, & quod si esset  
falsum, non possemus arguere  
Deum de mendacio. Nihil er-  
gò distinguendum est sicut a-  
liqui distinguunt, vtrum illa  
conclusio sit aliquid entitatiuè  
distinctum an identificatum  
cum obiecto, quod Deus reue-  
lauit. Nam in ordine ad reue-  
lationes, & ad assensus perindè  
se habēt obiecta realiter, ac tā-  
tum formaliter distincta; alio-  
quin omnis veritas posset esse  
de fide, quia Deus reuelauit se  
cognoscere omnia: in cuius re-

198      *Liber Tertius*  
uelationis obiecto includuntur  
singula entia, & singulae cog-  
nitiones de illis.

148      Ratio autem huius  
rei à priori est, quoniam verba  
immediatè substituuntur con-  
ceptibus; & cum Deus loqua-  
tur verbis humanis, reuelat no-  
bis verum fore conceptum sub-  
stitutum talibus verbis. Porrò  
cōceptus substituti diuersis ver-  
bis sunt realiter distincti, adeo-  
que habent veritatem realiter  
distinctam, etiam si id quod illis  
diuersis verbis correspondet ex  
parte obiecti sit planè idem:  
& ideo quoties credo verita-  
tem alicuius conceptus non  
cōrespondentis illis verbis, per  
quæ Deus locutus est, credo ali-  
quid distinctum realiter ab eo,  
quod Deus immediatè reuela-  
nit.      Con-

149 Concedendū tamen est, aliqua esse de fide, quæ non videntur explicitè, & immèdiatè contineri in reuelationibus diuinis. Alioquin nulla definitio Ecclesiæ esset vera de fide, quoniam Deus tantum reuelauit in vniuersali, *Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis*, cum qua propositione vniuersali necesse est coniungere aliam propositionem minorem particularem, & notam non per reuelationem Dei, sed per experientiam, hoc est *Ecclesia id definiuit vt colligatur in conclusione: Ergo id est verum*. Aduertendum ergo est aliqua reuelari à Deo in genere ad hoc vt credantur solum in genere; cuiusmodi sunt illa *Deum omnia cognoscere, omnia*

*efficere*: per quas reuelationes Deus tantum intendit ut de ipso sciremus eiusmodi perfectiones vniuersales in genere. Alia Deus reuelauit in genere ad hoc ut credantur in specie, & in indiuiduo; sed quoniam prolixum, & infinitum fuisset ea singillatim enumerare, Deus adhibuit reuelationem genericam substituendo illam (incompletè tamen, ut infra explicabitur) collectioni omnium reuelationum indiuidualium.

150 Supposita hac distinctione dicimus, ea, quæ reuelantur à Deo generatim, priori modo, non posse credi in indiuiduo per actum fidei ob rationes supra explicatas: non posse tamen discredi nisi per

si per actum repugnantem  
fidei quoties cognoscitur ve-  
ritas propositionis minoris à  
Deo non reuelatæ . Impossi-  
bile enim est dissentiri con-  
sequentia, quando argumen-  
tum apparet in forma, quin  
dissentiat alteri ex præmis-  
sis . At quando reuelatio fuit  
generica posteriori modo; tunc  
assensus indiuidualis est de fi-  
de . Illa enim experientia,  
quam habemus tunc de ve-  
ritate minoris particularis, est  
aliquod complementum locu-  
tionis diuinæ , per quam Deus  
reuelat hoc obiectum in indi-  
uiduo : quare si ea experien-  
tia , quæ proponit nobis hunc  
hominem tanquam Pontifi-  
cem ritè electum, & hunc ar-  
ticulum tanquam definitum.

I S ab

es  
e-  
re  
et  
m  
n-  
a-  
n-  
e-  
di  
oi  
s:  
i-



ab ipso, vel Concilio, esset falsa, & præstigiola, possemus conqueri de Deo tanquam de deceptore, vt pote qui cōcurreret ad illam apparentiam, quæ prudenter censeretur à nobis locutio diuina, quamuis non esset, & sine cuius apparentiæ infalibilitate non possemus discernere credenda à non credendis.

151 Liquet ex prædictis quid significet illud commune effatum: *nō datur noua reuelatio in Ecclesia*: significat enim, nō dari reuelationem, quæ non sit cōplementum reuelationis præteritæ. Et ideò Sūmus Pōtifex, vel Concilium non potest cōdere nouam scripturam Canonicam sicuti poterant Apostoli. Quocirca in hac parte  
maior

maior erat S. Ioannes S. Lino, licet ei esset inferior quoad iurisdictionem. Cæterum illud axioma non significat non dari nouam quamdam locutionē Dei, quæ sit explicatio, & complementum reuelationis antiquæ ita vt reddatur nobis de fide id quod ante non erat de fide, cum scilicet Deus per Ecclesiam explicat de quibusnā obiectis particularibus locutus sit quando edidit illas reuelationes vniuersales.

152 Imò verò etiam de fide cōsemus illas definitiones, per quas Ecclesia aliquid declarat illatum partim à reuelatione Dei, partim ab aliqua veritate naturaliter nota, cuiusmodi sunt multa ex. g. quæ definiuntur in Concilio Tridenti-

no de Sacramento Eucharistię.  
Voluit enim Deus Ecclesiam  
esse interpretem scripturę non  
tantum quasi grammaticalem,  
& ignobilem, sed more nobi-  
liorum interpretum, qui multa  
inferunt non explicitę per au-  
thorem enunciata. Hoc enim  
prodest tũm ad hoc, vt semper  
nouam doctrinam ex eodem  
fonte fideles hauriant tũm ad  
hoc vt damnentur illę proposi-  
tiones, quę credi non possunt,  
quin discredata aliqua propo-  
sitio à Deo reuelata. An autem  
hęc vel illa enunciatio sit veri-  
tas cum qua concordet articu-  
lus reuelatus; Ecclesia quidem  
nō potest definire in omni ma-  
teria; nec enim habet assisten-  
tiam Spiritus Sancti super quo-  
libet obiecto alioquin ignoto,  
sed

sed tantum id potest in illis materijs, quæ ex se habeant moralem certitudinem. Id enim spectat ad rationem interpretis, & commentatoris, & per hoc distinguitur à nuncio, quæ principalis locutor immediatè affatur; Sed posita ea morali certitudine, Ecclesia non potest errare in interpretatione: atque adeo certitudo illa moralis tunc transit in metaphysicam propter Dei promissionem, quod *nō deficiat fides Petri*, & propter illam reuelationem quod *Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis*. Sicut propter similem rationem transit in metaphysicam illa certitudo, quæ alioquin esset tantum moralis, vel physica quod extiterint tales Pontifices, & talia Concilia, quo-

206      *Liber Tertius*  
rum definitiones habemus.

153      Non solum ea, quæ  
sunt per Ecclesiam recepta, &  
definita, sed etiam priuatæ re-  
uelationes si fierent cum suffi-  
cienti apparentia possent mo-  
uere ad actum fidei. Videtur  
colligi ex Tridentino vbi negat  
posse quempiam (non simpli-  
citer, sed cum hac limitatio-  
ne) sine speciali reuelatione  
certum esse de sua salute certi-  
tudine fidei: colligitur etiam ex  
scriptura nam Prophetæ cre-  
debant multa per fidem ante-  
quam eorum Prophetiæ ab Ec-  
clesia reciperentur. Et Zacha-  
rias punitus est, quia non cre-  
didit reuelationi priuatæ. Et ra-  
tio vniuersalis probans illos nõ  
solum esse posse veros actus fi-  
dei, sed eiusdem rationis, ac a-  
lios,

*De Fide, Spe, &c. C. VIII. 207,*  
lios, & ab eodem habitu prouenientes est, quoniam in omnibus reuelationibus sufficienter propositis interuenit idem obiectum formale, hoc est veracitas Dei. Ille tamen qui non crederet reuelationi priuatæ, nō vocaretur *Hæreticus*, adeoque non incideret in censuras, & pænas, quas Ecclesia Hæreticis imponit.

154 Reuelatio facta vni nō potest esse obiectum fidei in ordine ad alios audientes nisi ex circumstantijs constet eandem secundariò dirigi etiam ad ipsos. Vel enim illa apparentia perquam aliquis iudicat eam fuisse locutionem Dei factam alteri, est locutio diuina, vel non: si est: ergo dum audiēs ab ea mouetur, vtique mouetur  
à locu-

à locutione facta sibi : si non est, ergò potest aliquis discredere quin putet Deum mendacem : potest enim credere illã apparentiã esse fallacem & simul credere Deũ esse veracissimum : atque adeo dum credit, illam quam audiuit fuisse locutionem Dei, non innititur soli veracitati diuinæ, sed partim etiam alicui obiecto naturali & fallibili; quod est contra naturam actus fidei .

155 Obiectum fidei debet esse reuelatum reuelatione strictè sumpta, & non tantum illa reuelatione lata , per quam dicitur Deus loqui in operibus creatis, & sensibilibus : Quamuis enim multa ex argumentis, quæ fiunt contra illam sententiam, declinentur si nomine  
huius

huius fidei latæ intelligatur assensus obscurus, & voluntarius, quem prudenter homines præstant ex motiuo naturalium effectuum erga bonitatem Dei, & eius inclinationem ad remuneranda piorum opera; adhuc tamen ea sententia non solum est reijcienda, quia pugnat cū communi scholasticorum, & Patrum sensu. sed etiam, quia duplici argumento reuincitur.

156 Primum est auctoritas Pauli ad Rom. 10. *quomodo, inquit, inuocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine predicante, quomodo autem predicabunt nisi mittantur sicut scriptum est quā speciose pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

Sed



Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit Domine, quis credidit auditui nostro; ergo fides ex auditu auditus autē per Verbum Christi. Vbi semper Apostolus requirit ad inuocandum Deum illa inuocatione de qua, supra dixerat quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. missionem, prædicationem, verbum, auditum.

157 Secundū argumentū est ductū à ratione, quia fides est sperandarū substantia rerū, & ideo semper includit articulum Dei remuneratoris, vt infra. Nullus autē effectus naturalis præstat fundamētū firmissimæ spei, & assensui super omnia quod Deus sit bonus remuneraturus, quia nullus ex his effectibus imponit Deo vllam necessi-

cessi-

cessitatem in ordine ad futura;  
Hæc enim necessitas oritur ex  
sola Dei promissione superna-  
turali; ideò Tridentinum sess. 6  
cap. 6. ait *homines disponi ad iu-  
stitiam dum diuina gratia adiuti  
fidem ex auditu concipientes libe-  
rè mouentur credentes vera esse,  
quæ diuinitus reuelata, & pro-  
missa sunt.* Verum quidem est,  
etiam Hæreticos, Iudeos, &  
Macomitanos, quin omnes  
Ethnicos, ad quos per veras  
traditiones ortas ex Noe, alijsue  
humanigenis progenitoribus,  
peruenerit notitia vnius summi  
Dei, qui sit bonorum remunc-  
rator, posse elicere verum actū  
fidei si ex ignorantia inculpa-  
bili versentur in illa secta.

## CAPUT IX.

*De obscuritate fidei. An possit identificari vel coniungi cū visione vel scientia, vel opinione de eodem obiecto.*

158 **N**on potest idem actus esse simul fidei simul etiam clarus de eodem obiecto, ex motiuo videlicet scientiæ. Probatur nam, vel iste actus tenderet in similitatem vtriusque motiui qua simultas est, & sic non inniteretur veracitati diuinæ, sed complexo ex veritate diuina, & ex alio motiuo, ac proinde non determinaret intellectū ad credenda quæcunque Deus dicit, sicut determinat actus fidei, sed

*De Fide, Spe, &c. C. IX. 213*  
sed ad credenda ea, in quibus  
concurreret eiusmodi simultas  
motiuorū: Vel ille actus tende-  
ret in illa duo motiua seorsim,  
adeoque corresponderet dupli-  
ci actui possibili tendēti singil-  
latim in vtrumque motiuum.  
& negamus id fieri posse ex  
multis rationibus.

159 Primò ex ratione vni-  
uersali quoniam nullum ens  
creatum distinguitur ab alio  
ente creato per solam negatio-  
nem, neque per differentiam  
positiuam, quæ non habeat a-  
liud munus, quam inferre talē  
negationem. Ideò Aristoteles  
reprehendit qui assignabāt pro  
differentijs auium esse *pennatā*,  
vel *impennatam*, eo quod diffe-  
rentia debeat desumi in ordine  
ad aliquod positiuum. Omnis  
enim

enim differentia est aliqua perfectio, & pulchritudo addita generi; propterea constituit speciem cuius nomen sonat pulchritudinem, & perfectionem. Ideoque Deus non est in genere, sed supra genus, & continens totum genus, quia creatura distinguitur à Deo non per aliquam perfectionem, quæ non sit in Deo, sed per conceptum dicentem carentiam alicuius perfectionis diuinæ, ac proinde creatura non differt specie, hoc est perfectione, à Deo. Cæterum nulla est creatura, quæ in sua differentia specifica non contineat aliquam perfectionem nulli alteri speciei communem, & ad quam ex necessitate materiæ sequuntur perfectiones perfectionum quæ sunt in alijs speciebus; scilicet  
nun.

nunquam natura intendit malum, & negationem perfectionis primò, & per se. Porrò Aristoteles 10. metaph. c. 11. & 12. constituit diuersitatem specificam in cōtrarietate formæ sub eodem genere, & ideo negat marem differre specie à femina, quia eorum contrarietas versatur tantùm in materia. Atquì *contrarietas* dicit aliquid positium, & *forma* semper sonat perfectionem, & pulchritudinē. His positis, si daretur aliquis actus respondens simul fidei, & scientiæ; utiq; actus solius scientiæ ex. g. non distingueretur ab illo nisi per negationem alterius prædicati dicentis perfectionem: cuius rei nullum est exemplum in natura, si res attentè considerentur, & nisi admit-

mittantur durationes, & ubicationes indiuisibiles realiter, diuisibiles autem virtualiter, quas ex hoc, et ex alijs grauioribus argumentis impugnabimus in loco.

160 Secundò, ratio specialis contra prædictum actum duplicem virtualiter est, quoniam non experimur in nobis libertatem, imo ne cognitionem quidem ad faciendos eiusmodi actus potius distinctos quam identificatos: ergo debet esse naturaliter necessarium, vel ut semper sint coniuncti in vnam entitatem, vel ut semper sint distincti. At congruentius fuit ordini nature hoc secundum. Ergo id credendum est de facto euenire.

161 Probatur minor: primò  
de

sic naturæ cōgruētius fuit, vt cō-  
fuleret durabilitati. Sicut enim  
non fecit albedinem distinctam  
in duas species, quarum alte-  
ra esset dulcedo, altera amari-  
ties ex.g. sed distinxit albedinē  
ab his alijs accidentibus, vt si  
quid superueniret, quod esset  
contrariū albedini, ea destru-  
cta, remaneret tamēn dulcedo,  
& viceuersa; itā non debuit idē-  
tificare in vna entitate prædi-  
cata duorū actuū distinguibilia  
vt cessantibus requisitis ad cō-  
seruationē vnius, alter permane-  
ret: Secundò ratione speciali in  
actibus intellectus, & volunta-  
tis. Cum enim eorum bonitas,  
hoc est veritas, vel honestas,  
consistat in indiuisibili, atque  
adeò inficiatur ex falsitate, vel  
malitia cuiuscumque motiui,

K. fatius



latius fuit, vt quoties motuum  
indiuifibile non est ipfa simul-  
tas, toties ordo ad vnum mo-  
tuum distingueretur ab ordine  
ad aliud motuum, nè prauitas  
vnus corrumperet bonitatem  
alterius.

162 Addimus vero circa  
hanc quæftionem nunquam  
poffe intellectum, aut volunta-  
tem tendere modo difparato in  
plura, vt plura: quod de intel-  
lectu optimè aduertit S. Thom.  
pr. part. q. 85. ar. 4. vbi ad quar-  
tum concedit poffe cognofci  
plura vt comparata, & diuerfa;  
fed tunc cognofci per speciem  
ipfius comparationis, vel diuer-  
fitatis, quæ est vnica. Et ratio  
vniuerfalitèr est, quia fi in iftis  
potentijs poffent dari actus di-  
fparati, natura malè illas infti-  
tuit.

tuisset, dùm facerent vnum iudicium, vel decretum, non consulendo alia iudicia, vel decreta, quæ habent in eodem signo, vel in signis præcedētibus, quasi essent multi Peregrini in aliquo hospicio, quorum vnus nil haberet commune cum alio, atq; adeo nesciret, & negligeret quid alius ageret. Et est axioma familiare S. Th. *Natura nihil facit inordinatum*; omnis ergò actus intellectus, qui amplectitur aliquod obiectū, attingit omne motiuum vel retrahens, vel impellens, quod representatur in actu primo circa tale obiectum. Est igitur impossibile quòd aliquis in instanti A amplectatur idem obiectum propter duo motiua disparatè, licèt possit illud amplecti per duas

dependentias adæquatas à duplici motiuo, quarum altera exprimat ex.g. *credo Petrum esse in foro, quia & Paulus dicit, & hæc alia, quæ cognosco, non infringunt authoritatem huius testimonij*, alius verò ordo exprimat: *credo hoc idem, quia Franciscus dicit, &c.* & huc spectant, quæ supra explicauimus *in libro de actibus humanis* circa discrimē inter motiua adæquata, & inadæquata.

163 Neque id officit actui fidei, quasi innitatur nō soli reuelationi diuinæ, sed etiam alijs motiuis. Reuelatio enim diuina non distinguitur adæquatè ab apparentia aliorum motiuorum, sed includit quidquid consonat cum veritate obiecti reuelati; quia omnis illa  
 appa-

du- apparentia est aliquid factum à  
era, Deo ad finem manifestandi suū  
n es- cōceptum, atque adeò est pars  
it, & locutionis diuinæ, vt aliàs dixi-  
frin- mus: quocirca dum intellectus  
imo- innititur toti illi apparentiæ nō  
nat: quatenus hæc est, sed quate-  
iscus nus est apparentia sufficiens in  
quæ genere, innititur soli locutioni  
de diuinæ, & facit purū actū fidei.

164 Insupèr probabilius  
z in- existimamus, pugnare in eodē  
Etui intellectu pro eodem instanti  
li re- fidem, & sciētiam etiam per a-  
n a- ctus distinctos. Non solūm e-  
im- nim id suadet authoritas D. Th.  
idæ- & modus loquendi Sanctorum  
im- Patrum, qui videntur fauere  
uid- huic sententiæ, sed ipsa defi-  
te- nitio Pauli, in qua dicitur *fides*  
silla *esse argumentum nō apparentiū*.  
Accedit duplex ratio. Prima est,

quia fides ex sua essentia est obsequium liberum, quod præstamus authoritati loquentis, credendo id, quod alioquin possemus non credere. Nequè hoc obsequium consistit præcisè in eo, quòd credamus propter authoritatem ipsius id quod possemus non credere ex illo motiuo, licèt necessitaremur ad id credendum ex alio motiuo: nã authoritas loquētis est mediū, (quamuis non purum mediū) quod adhibetur adhūc finem, vt credatur ipsa res enunciata: sicut præceptum imperantis est mediū, quod adhibetur ad hoc, vt fiat res præcepta. Nemo autèm adhibet medium in ordine ad finem, qui est necessariò exiturus independentèr ab ipso medio: ergo de natura intrinseca

seca

feca locutionis est, non interpo-  
nere auctoritatem loquentis,  
nisi in ordine ad illum casum,  
in quo independētē ab ea au-  
diens non esset necessitatus ad  
assentiendum rei enunciatae.

165 Confirmatur ex pari-  
tate supra indicata; sicut enim  
si ego essem necessitatus ex a-  
lio motiuo ad volendum audi-  
re sacrum, non posset aliquis  
prudētē id mihi praecepere,  
quia praeceptū supponit liber-  
tatem antecedentem circa rem  
praeceptam; itā ex suppositio-  
ne quod meo intellectui pateat  
aliquod obiectum, adeoque  
quod sim necessitatus ad illud  
affirmandum, nemo prudens  
enunciaret mihi tunc illud ob-  
iectum. Sed in quolibet instā-  
ti, in quo credimus, necesse est

vt Deus nos alloquatur, & enūciat nobis rem, quam credimus, vt alibi demonstratum est; ergo, quando obiectum est euidentius, non possumus illud credere.

166 Quin etiam, præscindendo ab hoc vltimo, sicut ille, qui præcipit, nunquam ordinat præceptum in ordine ad aliquem casum possibilem, in quo subditus sit aliundè physicè necessitatus ad rem præceptā, & ideò pro illo casu non potest exerceri obedientia nisi affectiuè; ita etiam loquens non ordinat suā attestationem in ordine ad casum, in quo audiens habeat aliundè euidentiam, & necessitatem iudicandi rem enunciātam, & ideo in tali casu nō potest exerceri fides, nisi affectiua.

Secun-

167 Secūda ratio est; quoniam natura non reddidit posibles assensus obscuros adeoque ex genere suo obnoxios errori, nisi quia non poterat aliter supplere nostræ ignorantiaē circa plurima obiecta, vt exposui in libro *de actibus humanis*. Atq. vt huic periculo erroris melius consuleret, subiecit assensus obscuros imperio voluntatis. Nequē ab hac regula exemta assensus fidei licet infallibiles, quia noluit eos per experientiam posse discerni ab actibus fallibilibus: alioquin nō essent amplius obscuri, & tolleretur meritum, quod habemus, operandi dependentē à cognitione obscura. Hoc posito, debuit natura sic instituere cæteros assensus obscuros, vt eos non ad-



haberemus quando ex alio motiuo obiectum est euidens; alioquin incideremus in periculū erroris sine utilitate. Totam enim utilitatem, quam præstaret tunc assensus obscurus, possumus percipere si assentiamur per actum euidentem, & infalibilem ipsi probabilitati motiuo obscuri præscindēdo ab eius veritate, vel falsitate. Et ideo nunquam experimur nos credere ex. g. veritatem demonstrationis mathematicæ benè præceptæ ex hoc motiuo *quòd præceptor dixerit.*

168 Hoc supposito, nō debuit eximi ab hac regula assensus obscurus fidei diuinæ, nè de illo haberemus experientiam diuersam ab alijs obscuris assensibus: maximè, quia ab hac  
 exem-

*De Fide, Spe, &c. Cap. IX. 227.*  
exemptione nullum ferè com-  
modum oriretur; nàm totum  
meritum potest haberi creden-  
do ipsam reuelationem diuinā,  
quæ semper est obscura. Neq.  
contrariū suadetur ex eo, quòd  
Paulus enumeret inter creden-  
da per fidem existentiam Dei,  
quæ tamèn rationibus demon-  
stratur: nomine enim Dei in  
hoc articulo, vt sentit. D. Th.  
2.2. q. 1. art. 8. ad primum, intel-  
ligitur ens habens prouidentia,  
& omnipotentiam, & quod so-  
lum sit colendum, *quæ, inquit,*  
*naturali ratione inuestigare Phi-*  
*losophi non potuerunt.* Et porrò,  
quamuis de his aliqui pauci ac-  
quisiuerint euidentiā physi-  
cam, hoc est æqualem illi, quā  
habemus de crassino ortu solis,  
vix tamèn vllus acquisiuit eui-

dentiam metaphysicam, hoc est talem, cui æqualis nulla per quãcumq. potētia possit esse falsa. Quã si quis acquisiuerit, non est absurdum in illo casu rarissimo concedere cum S. Thom. non posse exerceri actualem fidem super existentia Dei.

169 Sola enim euidencia metaphysica constituit scientiã perfectissimam, & intellectum omninò imperturbabilem, addeòque pugnat cum fide. Cæterùm euidencia physica licet regularitèr cum fide non coniungatur, quia in rebus ita manifestis non solemus consulere diuinam authoritatem; tamèn, quia ex natura sua non euellit omnem planè formidinem radicalem, non pugnat naturalitèr cum aliquo assensu obscuro  
de

de eodem obiecto, per quem  
assensum augeatur probabili-  
tas illius veritatis; nam etiam  
certitudo physica nil aliud tã-  
dèm est, quàm aliqua probabi-  
litas magna, quæ tamèn potest  
semper magis, & magis au-  
geri.

170 Hoc posito, nõ est inu-  
tile coniungi cum hac eviden-  
tia physica actum fidei, quippe  
qui tollit ab intellectu eam for-  
midinẽ radicalẽ, quæ per eui-  
dentiam physicam non fuerat  
sublata, & reddit eum omninò  
imperturbabilem. Nequẽ di-  
cas existentiam diuinam in  
quocunque casu esse obiectum  
actus fidei, quia in quocunque  
casu, etiam metaphysicè eui-  
denti <sup>de existentia Dei</sup> debet esse obiectũ actus  
fidei Deus vt remunerator,  
quod

quod cōcretū includit etiā diuinam existentiam . Non enim quoties ex aliquo motiuo assentimur alicui concreto, assentimur ex illo motiuo singulis partibus illius concreti. Alioquin qui credit ex testimonio Medici, *se esse agrotum*, crederet ex eodem testimonio, *se existere* tanquā partem huius cōcreti *agrotus* : & qui credit cōclusionē propter præmissas, crederet aliquādo præmissā propter ipsā præmissā, vt pote quæ aliquādo est pars ipsius conclusionis. Igitur credere aliquod totum ex aliquo motiuo, est tantū credere ex illo motiuo vltimam formalitatem constitutiua illius totius, & cætera, quæ non aliundè sint nota.

171 Existimamus etiam

pro-

probabilius actū fidei pugnare cum actū opinionis, etiam non habentis formidinem actualem de eodem obiecto. Nam opinio sicuti ex se est actus fallibilis, ita amatur à natura tantum in supplementum actus certi, & reddentis intellectum imperturbabilem: ac proinde præexigit iudicium, quo intellectus videat: *Ego in hoc instanti non habeo certitudinem de hoc obiecto:* simul enim cum certitudine melius est esse incapacē actus, qui sit subiectus errori. Ergo negatio actus fidei pro illo instante reali præexigitur vt conditio ad actum opinionis. Et hæc est ratio vniuersalis; cur opinio coniungi nequeat vnà cum fide, aut cum scientia.

## CAPVT X.

*Ad quosnam actus concurrat Habitus fidei mediatè, vel immediatè. An ad falsos per se, vel per accidens, & quomodo operetur intellectus in syllogizando.*

172 **H** Abitus fidei cum sit virtus intellectus non potest per se concurrere ad actum falsum. Et ratio à priori est, quia eius obiectum formale est essentialitèr cōnexum cum eius obiecto materiali; hoc est veracitas diuina, cum veritate rei enunciatae. Probabilius putamus, nè per accidens quidem cōcurrere eiusmodi habitum ad actum erroris.

ris.

roris. Quamuis enim possit bona causa vniuersalis determinari per accidens à causa particulari vitiosa ad effectū malum, tum in physicis vt patet in claudicatione & in mōstris, tum in moralibus vt constat ex generali concursu diuinæ omnipotentiae ad actum peccatis; nunquàm tamen bona causa potest concurrere ad malum effectum nisi vel quādo si id nō posset, nè ad bonū quidem posset concurrere, vel quando ille effectus non est simpliciter malus, sed melior, quàm pura negatio. Hoc secundum verificatur in claudicatione, quæ melior est quam nullus gressus, & in monstris, quæ meliora sūt, quàm nullus fætus; primum verificatur in actu erroris, ad quem



quem nisi intellectus posset cōcurrere, nullum posset facere actum verum obscurum; item in actu peccati, ad quem nisi Deus posset concurrere, nè cōcurrere quidem posset ad liberam, & laudabilem abstinenciam à peccato, vt consideratū est in *libro de actibus humanis*.

173 Cæterùm si bona causa possit concurrere ad omnes suos effectus bonos absque eo quòd habeat potentiam ad effectum malum, semper caret illa potentia, vt pote quæ si illi conueniret iam non cōueniret per accidēs, & ex necessitate materiæ, sed per se, & ex intentione naturæ, quippe potentis habere omnia alia bona sine tali potentia ad malū. Hinc colligitur eā potentiā cōcurrenti ad actū  
fal-

falsum non esse in habitu fidei; nam habitus fidei potest concurrere ad omnes actus bonos quin habeat eiusmodi potentiam. Probatur, nam vel deberet illam habere in ordine ad casum, in quo simul cum obiecto fidei crederetur aliquod obiectum falsum, vel in ordine ad casum, in quo ex vna premissa fidei, & alia falsa elicere-  
tur falsa conclusio. At in neutro casu necesse est assignare habitui fidei influxum in actum falsum.

174 Non quidem in primo casu: quando enim intellectui repræsentaretur simul obiectum fidei, & obiectum falsum, vel crederet ea disparatè; & sic crederet per duos actus, alterum verum, & procedentem à fide, alte-

alterum falsum, & à fide independentem: vel crederet illud cōplexum per modum vnius; & tunc obiectum, quod directè creditur est illa similtas indiuisibilis, quæ tota est falsa. Atque adeò nil necesse est, vt ad eam credendam partialitèr cōcurrat habitus fidei: neque etiam hic cōcursus requiritur in secundo casu; nam quando ex vna præmissa fidei, & altera falsa infertur falsa conclusio, etiã si actus conclusionis reflectat supra obiectum præmissæ veræ, non tamen eget habitu fidei, quia intellectus & volūtas sunt potentia determinatæ ex se ad credendum, & volendum in posteriori natura quidquid credunt, & volunt in priori natura; nequè in hoc patiuntur nouam

nouam difficultatem, superan-  
dam per aliquem habitum.

175 Actus ergo, qui quo-  
modocunque reflectat supra  
actum fidei intuitiuè, aut me-  
moratiuè, erit quidem superna-  
turalis in ratione effectus; quia  
non potest poni nisi ex supposi-  
tione miraculi hoc est verè fidei  
antedèter elicitæ: sed ad hos  
actus supernaturales in ratione  
effectus non requiritur habitus  
confortans potentiã, vt in lib. *de*  
*Gratia* ostēdimus. Cæterùm ille  
actus nō erit supernaturalis in  
ratione entis, quandoquidē  
non modo non erit melior om-  
ni accidēte naturalitèr debito,  
sed nec erit simpliciter expeti-  
bilis. An verò detur habitus  
Theologiæ supernaturalis ad  
inferēdas cōclusiones veras ex  
præ-

præmissa fidei, & ex alia præmissa naturali vera, potest esse maior dubitatio. Non tamèn hunc habitum admittere videtur omninò necessarium. Nam nequè intellectus eget illo ad expugnandam nouam difficultatem, vt vidimus, nequè ad acquirendam cognitionem meliorem omni cognitione naturali possibili. Si quidèm ille actus non dat intellectui nouã cognitionem alicuius veritatis, quæ cognitio vel in ratione finis, vel in ratione mediij sit expetibilior ea cognitione, quæ constitueret sælicitatem naturalem, nequè est principium proximum actus meritorij; hoc enim principium debet esse vltimum iudicium practicum, quod est essentialitèr euidens,

vt

vt alibi ostendimus, & non ob-  
scurū sicut actus theologicus:  
quare ad illud vltimum iudi-  
cium practicum videtur & re-  
quisitus, & sufficiens habitus  
supernaturalis prudentiæ infu-  
sæ, qui concurrat ad illud iudi-  
cium representans bonitatem  
obiecti supernaturalis eligibilis.  
Hic autem habitus versatur cir-  
ca cōplexum omnium cogni-  
tionum præcedentium, non tā-  
quām circa præmissas, sed tan-  
quām circa obiectum (vt supra  
expositum est, vbi de hoc iudi-  
cio practico disputauimus) inter  
quas cognitiones sit aliqua co-  
gnitio practica supernaturalis;  
& quo complexo existente sit  
euidens honestas illius obiecti  
supernaturalis eligibilis.

176 Nè ipse quidem actus  
fidei

fidei concurrens per se ad conclusionem falsam. Cum enim ille sit indifferens ut coniungatur cum altera præmissa vera, vel falsa, habet ex inclinatione suæ naturæ potius appetitum innatum ad coniunctionem cum præmissa vera. Et hoc est commune etiam cognitionibus naturalibus, nam actus scientiæ non concurrens per se ad conclusionem falsam in syllogismo falso ex falsitate alterius præmissæ, concurrens tamen per se ad conclusionem veram. Et ratio à priori est, quoniam omnis cognitio vera est ordinata ad bonum intellectus, non solum in ratione finis, & quatenus per se ipsam formaliter illum perficit, sed etiam in ratione mediij, & quatenus potest esse semen

nouæ

nouæ scientiæ, & veritatis ac-  
quirendæ. Propter ergo hanc  
generalem rationem etiã actus  
fidei per se, hoc est ex intētione  
naturæ, concurret ad verã con-  
clusionem theologicam.

177 Imo censemus, singu-  
las præmissas non concurrere  
immediatè ad actum conclu-  
sionis. Conclusio enim moue-  
tur, à complexo vtriusq. præ-  
missæ, cum quo tantum com-  
plexo apparet connexa veritas  
conclusionis; huic autem cō-  
plexo assentimur per actum,  
distinctum ab illis actibus sepa-  
ratis, quibus singulæ præmissæ  
creduntur. Quare præmissæ non  
determinant immediatè ad a-  
ctum conclusionis, sed ad il-  
lud complexum, vel etiam ali-  
quando vna tantum præmissa

L

est



est prior natura ad actum, quo  
assentimur cōplexo vtriusque.  
Et hic assensus circa totum cō-  
plexū est propositio *minor*, quæ  
essentialitèr, & non tantum ac-  
cidentalitèr distinguitur à *maio-*  
*ri*, & reflectit supra maiorem  
per reflexionem explicatam in  
illa particula *sed*. Sicuti  
cōclusio reflectit su-  
pra præmissas  
per refle-  
xionem explicatam  
in illa particula  
*ergo*.



C A P V T X I.

*De Necessitate Fidei ad Iustifi-  
cationē: Vbi de fide Redempto-  
ris, Trinitatis, & Dei Remune-  
ratoris.*

178 **C**ertum est sine fidē  
neminem posse  
placere Deo. Probabilius est nō  
esse necessarium necessitate  
medij, hoc est tali, quæ non tol-  
latur per ignorantiam inuinci-  
bilem, credere explicitē myste-  
rium Trinitatis, aut Incarna-  
tionis: nam ex vna parte om-  
nia testimonia scripturæ, & præ-  
cipua Patrum effata possūt ex-  
plicari vel de fide implicita e-  
iusmodi mysteriorum, vel de  
necessitate non medij, sed præ-  
cepti post sufficientem Euan-  
gelij promulgationem: ex alia

parte non solum multi rustici  
ex Catholicis videntur carere  
hac fide explicita, sed etiam li-  
beraliùs videmur sentire de di-  
uina bonitate, si dicamus etiam  
in illis sectis, quæ ità per veram  
traditionem cognoscunt verū  
Deum, vt tamen Incarnationē,  
& Trinitatem ignorent, posse  
pueros, & idiotas excusari per  
ignorantiam inuincibilem à fi-  
de talium articulorum, adeòq.  
eos per fidem veri Dei iustifi-  
cari, & saluari; sicuti continge-  
bat in lege Naturæ, & Mosaica.  
Confirmatur ex Paulo ad Heb.  
11. solum requirente, vt acce-  
dens ad Deum credat *quod est,*  
& *quod inquirentibus se remunera-*  
*tor sit.* Requiritur tamen fi-  
des eiusmodi mysteriorum sal-  
tem in voto, hoc est in propo-  
to

to

to seruādi omnia pręcepta. Et in hoc sensu dicitur necessaria necessitate medij, sicut etiam dicitur baptismus, qui aliquando iustificat susceptus in re, aliquādo tantum in voto.

179 Fides Dei existentis, & remuneratoris vera, & propria requiritur necessitate medij ad Iustificationem, vt constat ex citatis verbis Pauli; quę non possunt intelligi de notitia quadam pręambula ad fidem: nam ibi Paulus, eo quod sine fide impossibile sit placere Deo, & ex eo quod Enoch habuerit testimonium se placuisse Deo, & eo quod accedentem ad Deū oporteat credere quod est, &c. infert fidem Enochi; quę porrò fuit vera fides, & non notitia tantum pręambu-

la. Et quamuis credibile sit Enochum iustificatum fuisse in infantia per illud remedium, quod communiter Theologi consent fuisse in lege naturæ ad liberandos pueros à peccato originali; tamen Paulus non loquitur ibi de sola complacētia, quam Deus habuit in Enocho per gratiam habitualem, sed per actus bonos, & supernaturales ipsius Enochi meritorios vitæ æternæ, qui sine huiusmodi fide præstari nō possunt. Accedit testimonium Trid. sess. 6. cap. 6. exponentis verba Pauli de vera fide. Extollens enim fidem, quæ ad iustificationem disponit, ait: *de hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum, &c.*

180 Necessitas verò talis  
fidei

fidei non est tantum ex arbitrio Dei, Cum enim certum sit amorem Dei super omnia esse infallibiliter connexum cum iustificatione, quis dicat (quod dicunt, vel dicere tenetur aduersarij) Deum statuisse vniuersaliter impedire, ne quis amet illum super omnia ex cognitione bonitatis infinitæ apparētis in ceteris attributis, si careat, quāuis inculpabiliter, fide, quod ipse sit remunerator? Cēsemus ergo; hāc fidē exigi ex natura rei ad amorē Dei super omnia, veræ amicitia, vel etiam ad attritionem sufficientē in Sacramento Poenit. *Amare enim ita Deum super omnia, est constituere nostram felicitatem in amicitia cum Deo.* Porrò impossibile est constituere vnicè finem

nostrum vltimum, & æternum  
in aliquo bono, nisi certissimè  
credamus, illud bonum nobis ef-  
se possibile. Hæc autem pos-  
sibilitas creditur per fidem Dei  
remuneratoris.

181 Idem dicimus de at-  
tritione: nam vt benè Ambr.  
lib. 1. de poenit. cap. 1. *nemo po-  
test agere penitentiam, nisi spe-  
rauerit indulgētiā.* Et ideo Trid.  
sess. 14. cap. 4. ait: *hic contritionis  
motus necessarius, & in homine  
post baptismum lapsō itā demum  
preparat ad remissionem peccato-  
rum, si cum fiducia diuinæ miseri-  
cordiæ, & voto præstandi reliqua  
coniunctus sit; & infra ait attri-  
tionem, si voluntatem peccandi  
excludat cum spe veniæ dispo-  
re ad Dei gratiam in Sacramento  
Penitentiae impetrandam. Spes  
verò,*

*De Fide, Spe, &c. Cap. XI. 249*

verò, & *impetratio* (vt pote quæ petitionem supponit) requirunt essentialiter fidē Dei remuneratoris. Quamuis ergo attritio possit esse dolor de peccatis ex timore tantum pēnæ, requirit tamen spem vitæ æternæ, & reconciliationis cum Deo: & hoc idem indicat Paul. ad Rom. 4. dum ait *credenti in eum, qui iustificat impios, reputabitur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei.*

182 Hanc necessitatem fidei nō tantum ex Dei arbitrio, sed ex natura rei ad actus requisitos ad iustificationem agnouisse videtur S. Th. 2. 2. q. 4. ar. 7. vbi probat fidem esse primam inter virtutes, quoniam finis est prius in intellectu, quā in voluntate: *naturalis autem*



cognitio non potest attingere ad Deum secundum quod est obiectum beatitudinis prout tendit in ipsam spes, & charitas.

183 Nequè obstat, actum sinceræ charitatis tendere in Deum quatenus in se bonus est, & non quatenus est bonus nobis; ad quod vltimum pertinet dumtaxat fides Dei remuneratoris. Dupliciter enim possumus amare Deum vt bonum nostrum. Primò quidem, vt pulchrum, & delectabilem nobis, in quo amore constituiamus nos ipsos tanquam *finem cui*. Et hic amor non pertinet ad charitatem, sed ad spem, vt infra explicabimus in tractatu de charitate. Alio modo amamus Deum vt bonum nostrum, quatenus per amicitiam transformamur

mamur

*De Fide, Spe, &c. Cap. XI. 25*  
mamur affectiuè in Deum, &  
sic reddimus per hanc meta-  
phoricam identitatem bona  
nobis ea quæ physice sunt bo-  
na ipsius, quatenùs sunt bona  
ipsius. Et hic amor pertinet ad  
perfectissimam charitatē, ideò-  
que S. Th. 2.2. q. 24. art. 9. di-  
stinguens tres gradus charitatis  
ait, *tertium studium est, ut homo  
ad hoc principalitèr intendat, ut  
Deo inhaereat, & eo fruatur, &  
hoc pertinet ad perfectos, qui cu-  
piunt dissolui, & esse cum Chri-  
sto.*

184 Ideò quamuis idem  
S. Doctor dicat 1.2. q. 109. an. 3.  
*homo in statu naturæ integræ non  
indigebat dono gratiæ superaddi-  
to naturalibus bonis ad diligendū  
Deum naturalitèr super omnia.*  
Per illam tamen particulam

*naturaliter* excludit non solum entitatiuè, sed etiam obiectiuè illum amorem, qui est infallibiliter connexus cum gratia. Hic enim amor habet pro motiuo, vt diximus, & vt infra vberius explicabitur, Deum vt obiectū beatificum nostrum per suam amicitiam; sub qua ratione nō potuit naturalitèr amari super omnia, quoniam nec talis amicitia naturalitèr datur, nec potest (saltem honestè) independentèr à supernaturali reuelatione Dei firmissimè credi, & sperari adeòque efficacitèr appeti. Potuit ergo homo in natura integra elicere naturalitèr aliud genus amoris super omnia, per quem constitueret suam fælicitatem naturalem in amicitia Dei naturali, & im-

pet-

perfecta: hunc verò actum non potest quis exercere in natura lapsa, neque eleuata, neque non eleuata.

185 Non quidè in natura lapsa, eleuata; nam in hac non est possibilis fælicitas, & amicitia Dei naturalis, sed tantùm supernaturalis. Cum ergo id, quod est falsum, non possit esse certum, & cum sine certitudine possibilitatis nō possit quis honestè velle aliquid tanquam vltimum finem suum, & vnicam suam fælicitatem, non potest proinde quis in natura lapsa eleuata velle super omnia amicitiam Dei naturalem. Neque pariter id fuisset possibile in natura lapsa non eleuata, sine Dei auxilio speciali, & indbito. Nam in illo statu propter  
ter

ter peccatum amicitia Dei naturalis non fuisset possibilis, addeoque non potuisset esse efficaciter volita ex ratione iam dicta. Quod si Deus instituisset aliquod remedium penitentiae naturalis, illud ipsum remedium, & eius certitudo fuisset aliquod donum gratiae naturalis quidem, hoc est non supernaturalis entitativè, sed supra conditionem, & debitum illius status.

186. Pariter non obstat, esse connaturale unicuique creaturae magis amare Deum, quam se ipsam quia cuilibet parti connaturale est magis amare bonum uniuersale, quam proprium. Non inquam id obstat. Hoc enim vltimum axiom. potest multipliciter intelligi. Primò ita, vt amor naturalis,

hoc

hoc est innatus vnicuique enti,  
præferat bonum vniuersale  
bono proprio. Et hoc est verū,  
quia appetitus innatus nil aliud  
est, quàm quædam potentia  
operandi indita singulis rebus  
ab authore naturæ, qui ità di-  
stribuit huiusmodi potentias, vt  
per eas magis intenderet bonū  
vniuersale, quàm bonum pri-  
uatū cuiuscumque entis. Quo-  
circa illæ potentiæ magis vidē-  
tur quærere bonum commune,  
quàm bonum proprium, sed in  
hoc sensu illud axioma nihil ad  
rem nostram facit.

187      Secundò illud ità  
potest intelligi, vt lex naturæ  
obliget ad præferendum bonū  
commune bono proprio. Et  
hoc paritèr est verum, sed non  
de omnibus bonis; nam vt ad-  
uertit

uertit Arist. 9. Eth. cap. 8. nemo, quantumuis virtute præditus mauult virtutem esse in sua patria, quàm in se; quæ virtus est quid optimum inter bona humana; & eatenus bonus ciuis præfert salutem patriæ saluti propriæ, quatenus, si id faciat, habet bonum virtutis, quod est salute præstantius. Non ergo obligauit ciuem natura ad amandum magis remp. ab ipso distinctam, quam se ipsum, sed fecit, vt expediret ipsi operanti procurare quædã bona reip. à se distinctæ, quam sibi ipsi, nõ tamen maximum bonum, vt vidimus.

188 Tertiõ illud axioma ita intelligi potest, vt natura inclinet ad amandum magis bonum vniuersale, in quo continetur

tinetur etiam bonum propriū,  
quam solum bonum propriū.  
In quo sensu bene illud intelle-  
xit Durandus in 3. dist. 29. q. 2.  
num. 22. & 23. & ita est con-  
naturale, vt creaturæ magis ve-  
lint fēlicitatem Dei, quam pro-  
priam: nam sublata fēlicitate  
Dei, auferretur & fēlicitas pri-  
uata creaturæ, & præterea infi-  
nitum bonum ab hac distin-  
ctum. Quamuis ergo volun-  
tas sit essentialiter determinata  
aduolendam propriam fēlici-  
tatem, nec possit aliquid velle  
contra illam, vt sæpe docuerūt  
Arist. D. Aug. & D. Thom. qui  
etiam putauit omnem actum  
liberum dependere ab aliquo  
actu necessario tendēte in pro-  
priam fēlicitatem: quamuis in-  
quam ita sit, magis tamen in-  
clina.



clinamur (præciso errore intellectus) ad amandam felicitatē Dei, quā nostram, quia non possumus amare nostrā quin amemus diuinam, vt pote in qua & nostra includitur, & præterea multa alia bona includuntur. Et hæc est ratio, cur Beati amando Deum longè magis, quā in se ipsos, non ideò operentur contra inclinationem naturalem voluntatis.

189 Cæterum impossibile est, vt aliquis amet felicitatem alienam contra distinctā à propria, & repugnantem propriae magis quā propriā: & sic optimè S. Thomas supra laudatus constituit Deum obiectū charitatis super omnia, quatenus est principium nostræ beatitudinis. Illi ergo actus, qui communi-

muni-

*De Fide, Spe, &c. Cap. XI. 259*  
munitur proponuntur: malle  
annihilari, aut esse in inferno per  
totam aeternitatem, quam Deum  
offendere, non sunt possibile,  
citra errorem nisi in hoc sensu  
si ego per possibile, vel impossibi-  
lem redigerer ad disiunctivam  
necessitatem alterutrius ex his  
duabus miserijs, ut vel deberem  
pati haec mala physica, vel inimi-  
citiā Dei, malle illa, quā  
istam.

190 Constat ex praedictis,  
nullum actum, quem naturali-  
tèr possumus elicere, vel ad quē  
naturalitèr obligamur, esse a-  
morem Dei super omnia in eo  
sensu, in quo hic requiritur ad  
iustificationem, quatenus scili-  
cet per illum volumus efficaci-  
tèr non tantum fælicitatē Dei  
(quam citra errorem nemo po-  
test

test non velle) sed intimam Dei  
amicitiam, & communicatio-  
nem supra omnia bona nobis  
possibilia. Neque hoc velle est  
contra rationē perfectæ amici-  
tiæ, quatenus intendentis vnicè  
bonum amici, & non propriū:  
nam amicitia non præscindit  
ab eo bono proprio, quod est,  
*supposita semel identitate affecti-  
ua, gaudere de amore, de bonis,  
& de cōmunicatione amici.* Ideò  
quamuis superi habeant since-  
rissimā charitatem erga Deum,  
quæ est regula, & mensura in  
ipsis omnium appetitionum,  
tamen cum Aug. asserit S. Th.  
2. 2. q. 8. art. 3. in Corp. eos non  
fore contentos, & felices nisi  
haberent certitudinem de per-  
petuitate visionis & mutuæ re-  
damationis. Et idem S. Doctor

*De Fide, Spe, &c. Cap. XI. 261*

2.2. q. 180. art. 7. in corpore ait:  
delectationem illam, quam af-  
fert contemplatio Dei non ra-  
tione operationis, sed ratione  
amoris, quo Deum diligimus,  
& ratione cuius placet nobis  
cogitare de Deo, & cognoscere  
quod illi benè sit, desiderari à  
nobis ex amore charitatis er-  
ga Deum, quod etiam habet ibi  
ad primum ex Greg. hom. 14.  
in Ezechielem. Item licèt D:  
Thom. 2.2. q. 27. art. 1. dicat a-  
lienum amorem desiderari nō  
per se, sed tanquam manifesta-  
tium nostræ bonitatis; id ta-  
men benè explicat Caietanus,  
vt verificetur de motiuo, quod  
communiter habent homines  
dum optant ab alijs amari, &  
non de ratione: propter quam

*ama-*

amari est re ipsa optabile, præsertim si optetur ex affectu amicitia. Ceterum latius hoc de explicabitur paulò inferius in loco, vbi agetur de charitate.

191 Igitur cum sine fide Dei remuneratoris non possint certò innotescere hæc prædicta Dei, quæ mouent ad talem eius amorem super omnia sufficientem ad iustificationem, utique non ex arbitraria lege Dei, sed ex ipsa rei natura oritur prædicta necessitas fidei de Deo remuneratore. Quæ fides debet coniungi cum omnibus fidei actibus liberis, & meritorijs. Cum enim omnes eiusmodi actus ex D. Thoma habeant meritum obedientia supernaturalis debet homo illos

los

*De Fiae Spe, &c. Cap. XI. 263*

los eliciēs habere hanc certam  
fidem, quòd eius obse-  
quium Deo place-  
bit, & quòd  
propter  
illud benè sibi  
erit.



D E

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

DE

d  
&  
d  
p  
of